[illegible]


DE SIGNIS SANCTISSIMAE CRVCIS,

Quae diuersis olim orbis regionibus, & nuper hoc anno 1591. in Gallia & Anglia diuinitus ostensa sunt, & eorum explicatione,

Tractatus,

F. ALFONSO CIACONE, Biacensi, Doctore Theologo, ordinis Praedicatorum, & Poenitentiario Apostolico, Auctore.

AD DVCEM SESSANVM LEGATVM REGIVM.




1449

ROMAE,
Apud Ascanium, & Hieronymum Donangelos. 1591.

RR. DD. Vicarij S. D. N. Vicesgerentis, ac Mag. Sacri Palatij permissu.

fr. Dom.cus et fr. Petr. Lardius



DVCI SESSANO
LEGATO REGIO
F. ALFONSVS CIACON S.



MMORTALE, ac prorſus diuinum munimentum Chriſtus Redemptor noſter moriens crucem ſuam nobis haereditario iure reliquit: cuius virtute protecti, ab omni nos hoſtili incurſu, & aduerſariorum impetu tueremur. Hãc principes tenebrarũ, & qui ſub mala eorum diſciplina militant haeretici, Agareni, atque pagani, tamquam ſibi infenſam, acerrime inſectantur, totiſque viribus impugnant, ſi quo modo euertere, atque eius memoriam de cordibus poſsint fidelium funditus abolere: tot peſsimis artibus, & machinis ad ſuo eam loco deturbandam excogitatis, inaniterque adhibitis. Perſtabit illa ſemper, conſiſtet aeternum, ſicut perſtitit & conſtitit contra omnium inſultus victrix & triumphatrix, irritos faciens illorum conatus, & praua cõſilia, quae aduerſus ipſam inierunt. Curae eſt in primis Chriſto Deo ſua crux, imperatorium vexillum ſuum; nec longo tempore patietur iniuriam illi irrogari. Cruciferos namque ſuos inſtituit, qui illam comitentur, armis tueantur, & pro eius gloria & honore vehementer pugnẽt. Dux eius militiae Gregorius XIIII. nuper vita defunctus, fuit; duces proinde eiuſdem ſucceſſores erunt Romani Pontifices, qui pro cruce tuenda in Gallia decertabunt. Vindex crucis exiſtit Philippus Hiſpaniarum & Indiarum vere Catholicus Rex. Vindices ſunt multi Orthodoxi principes, qui non curuauerunt genua ſua Baal. Immo omnes legiones angelorum huius ſunt militiae aſcriptae, atque obſequio & mini-

ſterio inuigilant. Cōciliatis igitur in defenſionem crucis caeleſtibus viribus ac humanis, Pontificijs, atque Regijs, hoſtes crucis in Gallia compeſcentur, ac tandem ſuccumbent; ſi communibus ſumptibus ſacri foederis ſociis ſuppetiae opportune ferantur; ne potentiſsimum ac florentiſsimum hucuſque regnū ſubſidio deſtitutum, iuxta Saluatoris ſententiam, diuiſum deſoletur, & domus corruens ſupra domum, non ſolum ſibi pereat, ſed ſuae molis ruina vicinas prouincias opprimat; & ignis ſemel conceptus, dum continuo extingui negligitur, in vaſtiores flammas erumpēs, proxima quaeque corripiat & abſumat. Ita enim fiet, vt diſsidijs circa religionem compoſitis, & ciuilibus bellis ſedatis, in vnam aliquam pacem, concordiam & vnionem populus ille tandē coaleſcat, & Catholicum ſibi Regem praeficiat, qui ſanctis legibus populos ſibi ſubditos pie ac religioſe moderetur. Coepit Deus votis ſuorum militum fauere, ſanctiſsimae crucis imagines in Gallia, & Anglia, caelo terraq. oſtendens, quaſi teſſeram ſuae clementiae, vt eo ſalutari ſigno conſpecto, conſtantius & confidentius cruci adhaererent, & eo pignore ſperarent haud defuturum opportune diuinum ſubſidium, & laetam victoriam de impiis ac ſacrilegis hoſtibus caelitus comparandam. Subſequuta namque Hērici Lotharingij, Ducis Guiſiani, admiranda libertas, haec ita ſe habitura cōprobauit. Quare non abs re me facturum arbitratus, ſi omnes per diuerſas mundi aetates viuificae crucis apparitiones collegero, & earum interpretationem, & effectus explicuero ſubſequutos: paucaque ex multis, de eiuſdem crucis praeſtantia, maieſtate, vi, cultu, & adoratione interſeruero, quae potiorem valeant erga ipſam affectum excitare. Hanc qualemcumque a me nauatam operam, tibi Dux inclyte, tamquam crucis legato, & eius fidiſsimo miniſtro, dicandam cenſui, qui ipſius dilatationi, & exaltationi, aſsiduus Regio nomine incumbas; & ſingularem

gularem

gularem praeterea erga me beneuolentiam semper ostenderis, tuisque beneficiis deuinxeris, & pluribus ideo sim tibi nominibus addictissimus. Instigauit, vt sic facerem, D. Gonsaluus Pontius a Leone, tui studiosissimus, & humanitatis tuae, ceterarumque animi dotium praeco, perpetuusque declamator; & merito cum singulari prudentia, consilio, animi magnitudine, & rerum gerendarum dexteritate vigeas, & dignissimus proinde habearis, cui maiora munia, & prouinciae regendae concredantur. Clarissimam namque indolem ab ipsis incunabulis sortitus, non contentus gloria & splendore maiorum, qui Italiam, Hispaniam, immo totum orbem fama rerum praeclarissime gestarum compleuerunt, propriis virtutibus & litteris animum excoluisti; vt quid natura, quid fortuna, quid studia, & recta institutio, singulae contulerint, cuique innotescere possent. Hinc de te maximam expectationem mortales cuncti habent, & opinionem firmam concipiunt, beneficum omnibus futurum, & tuae gentis cõmodis liberalem opem laturum, & veluti perennem fontem expositum haustum & potum largiturũ. Principes enim viri aliquid habent ceteris diuinius, quod multis possint benefacere, & aliorum miseriis subuenire; proceras arbores imitari, quae aspectu & pulchritudine delectant, florum odore afficiunt, vmbra fouent, & fructus suos quibusque communicant liberaliter. Tu igitur perges arborem Dauidicam aemulari, plantatam iuxta decursus aquarum, cuius frondes non decidũt, & omnia quaecumque facit semper prosperabuntur. Vale generosissime princeps, & te diutius incolumẽ in publicum totius orbis beneficium serua. Romae VIII. Kal. Nouembris, M. D. XCI.

DE SIGNIS SANCTISSIMAE CRVCIS.

De signis caelestibus generatim. Cap. I.

PER res corporeas, sensibusque manifestas, de arcanis & supernis a Deo mortales instruimur, siue Deo nobiscum loquente, siue Angelis, siue Prophetis, siue somniis ab ipso Deo nobis immissis, siue oraculis scripturae diuinae. Et haec quidem per sermonem fiunt, aut internam aliquam illustrationem mentis. Verum sunt aliqua signa muta quidem illa, sed quae indicia sunt voluntatis diuinae, quam latenter exprimunt: & tacito quodam modo irati, aut placati Dei, reconciliationis, aut supplicij imminentis signa sunt manifesta. Constat namque ex diuino verbo, arcũ caelestem, quem irim etiam dicimus, citra effectus sibi suapte natura insitos, esse indicium trãquilli & sereni aëris, si vnicus & vespertinus contingat; contra si geminus vesperi, vnicus aut geminus matutinus, imbrem copiosum imminentem portẽdere, pignus existere, signaculũ, & testimonium firmissimum,

simum foederis inter Deum & homines solêniter icti; quo Deus, numquam in posterum genus humanum alluuione aquarum deleturum, pollicetur. Non solum igitur praeteritae pactionis est pignus, sed quoties se varicolor & pulcher in caelis ostendit, rei anteactae fidem & memoriã refricat, reconciliationis & pacis. Nec commodius, manifestius, aut venustius potuit signum adhiberi, quod diuinus sermo arcum vocat refulgentem inter nebulas gloriae: & alibi: Vide arcũ, & benedic Deum, qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Girauit caelum in circuitu gloriae suae: manus excelsi aperuerunt illum. Ergo vltra naturae conditionem suae, aliquid habet diuinius, quo foederis sit signũ aeterni. Columna praeterea illa, nubem referens diuersae naturae, interposita inter duos exercitus, Pharaonicum & Mosaicum, qua parte spectabat Aegyptios, tenebris & caligine obducta; qua Hebraeos, splendida & lucens, a Deo in signum protectionis sui populi, peculiariter in humiliore regione aërea efformata, hostibus exitio, Israëlitis mare rubrum transituris solatio & ducatui fuit. Anteierunt & aliae duae columnae exercitum Hebraeorum, quadraginta continuis annis, quibus per deserta loca contigit eum peregrinari: al-

Eccl. 50.
Eccl. 43.
Exod. 14.
Exod. 13.

terea inſtar nubis lucida,quae interdiu:altera ignea noctu,quae iter oſtendebant, & per auia & inculta loca ſecuros deducebant, & quo eſſent caſtra metaturi indicabant: ita vt occidēte columna nubis,ignea oriretur;& ignea occūbente, continuo per vices ſuas nubem referēs naſceretur.Praeter iſtas duas columnas, nubis, & igneam, fuit & alia ingens nubes caſtra ſequens; quae feruentes Solis aeſtus ſua vmbra temperabat, & a nimio calore ea protegebat; cuius bis meminit ipſe Moſes in hiſtoria ſacra, quam texuit, tamquam a columnis diſtinctae. Ad hanc ſeriem referenda eſt ſtella illa inſignis denuo producta, quae Magos antecesſit,longo itinere, & diuturno tempore, viam rectam oſtendens, qua eſſent ituri,& in domicilium vſque perduxit,quo Chriſtus Deus,& Mater virgo tūc in Bethleemitica vrbe Iudaeae incolebāt. Diuturno autem tempore iter illos confeciſſe, & diutius ſidus illud duraſſe,quod noctu luceret,ſatis comprobant narrationes hiſtoricae Luſitanorum, qui totius Orientis regiones & inſulas luſtrarūt, & patrias, atque auita illorum regna,familias,& religionis Chriſtianae veſtigia apud illas retēta, inuenerunt. Vtcumque autem haec ſe habeant, & pleraque alia, quae mihi olim referebat Hieronymus Oſorius Epiſcopus Sil-

Num. 14. Deut. 1. Matth. 2.

Haithonus Armenus lib.de Tartaris cap.2: Hierony. Oſorins in hiſtor. Reg. Emmanuelis.

Siluensis huic eidem proposito consentanea, quae nunc esset longum referre: satis est a longinquis terris profectos Magos, longum fuisse iter emensos, & sequenter illud mirabile sidus, prolixus, atque alij censent, comitatum. Sunt qui opinentur sidera crinita; quae cometae vocantur, legatione, cum apparent, fungi diuina, & praenuncia esse malorum mortalibus proxime impendentiū, & non tam ea efficere, quam significare aëris iniquam cōstitutionē, annonae penuriam, morbos, pestem, bella, & obitus principum, aut insignium virorum, aut terraemotus. Et certe aliquid horum euenire in apparitione cometarum, & philosophi censent, & multis quotidie euentibus experimur: adeo vt rarissime impune videantur, & frequentissime isti effectus, aut eorū aliquis, huiusmodi apparitiones consequantur: ideoque dira sidera merito appellātur. Callistus III. Pont. Max. vir religiosissimus, apparente suo Pontificatu comete, veritus ne quicquam infaustum aut calamitosum Christianae plebi portēderet, publicas per aliquot dies in Vrbe supplicationes indixit, precatus, si quae mala sidus illud dirum indiceret, in Turcas Christiani nominis hostes Deus eius auctor impelleret, sicut & contigit. Inter omnia autē sidera crinita, nūquam memoria homi-

Platina in vita Callisti.

hominum visum mirabilius, atque astrum ingens & splendidissimum in sede Cassiopeiae exortum 11. Nouembris anno 1572. ad finem vsque Ianuarij 1574. magno hominum stupore, qui nouũ quoddam astrũ denuo productum crediderunt. Sed transeamus ad alia signa digniora, quae in regione aëra per diuersa tempora diuinitus apparuere.

De hoc admirabili comete libros scripserunt Corneli⁹ Gemma, Hierony. Mugnoti⁹ &alij plerique insignes Mathematici.

De sacrosanctae crucis signaculo in regione aëra Constantino Augusto viso. Cap. II.

SIGNVM sanctissimae crucis aut in caelo conspectum, aut in terris: in terris autem aut singulare, aut plurale. Dicemus autem prius de crucibus singularibus, quae diuinitus quibusdam apparuere, deinde suo ordine de reliquis. Et certe nũquam singulares cruces in caelo, siue aërea regione visae, quin aliquid laetum, plausibile, & hilare, atque pro temporis & negotij angustia opportunum annunciarent. Praeclarissima autem & celeberrima crucis singularis apparitio Flauio Constantino Maximo Caesari Augusto facta fuit Romae anno Christi CCCXVI. imperij sui VII. contra Maxentium tyrannum reip. hostem conflicturo, militaribus

bus copiis ſuperiorem. Qui anxius & ſolicitus de dubio exitu pugnae conſerendae, excogitans firmiore praeſidio ſibi opus eſſe, quam quod arma miniſtrarent, Deum adiutorem ſibi implorauit, qui parenti Conſtantio propitius eſſe ſoleret; & quiſnam eſſet, ſibi vellet patefacere, precabatur. Viſio quaedam diuina, & in primis admirabilis apparuit. Cum enim iam Sol ad medium caelum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum in ipſo caelo, manifeſto oculis aſpexit, in eoque inſcriptionem conſignatam, haec verba complectentem: In hoc vinces. Admiratio ingens tam Conſtantinum, quam eius exercitum, huius prodigij ſpectatores inceſsit. Rem ordine geſtam ipſemet Conſtantinus Auguſtus Euſebio Pāphilo, Caeſareae Palaeſtinae Epiſcopo, Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptori inſigni, retulit, ſermonemque iureiurando confirmauit. Dubitanti poſtea Conſtantino de oſtenti interpretatione, ac dormienti Chriſtus apparuit cū ſigno in caelo monſtrato; praecepitque, vt exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in caelo apparuerat, fabricato, eo tamquam praeſidio, in proelijs cum hoſtibus committendis, vteretur. Quod, quam primum dies

Euſeb. lib. 1. de vita Conſtant. c. 22. 23. 24.

illuxit,

illuxit, vexillum auro & gemmis ornatum, vt sibi fuerat ostensum, confecit, viceque labari substituit imperatorij, quod omnis exercitus solebat genuflectens adorare. Hoc signo crucis ante acies perlato, Constantinus copias militares Maxentij tyranni deleuit; & ipse hostis, velut lapis infelix, in profundum Tiberis gurgitem praeceps e ponte Miluio decidit, nusquam amplius ab vllo hominum repertus. Hac insigni victoria Cōstantinus parta, praeuio salutiferae vexillo crucis, statuam marmoream sibi erigi fecit loco Vrbis celebri, in manu salutare crucis signum tenentem, hac inscriptione subiuncta.

S. Gregor. Nazian. oratione 4. in Iulianũ Apost. Niceph. lib. 7. cap. 49. Cedrenus pag. 222. Socrates lib. 1. c. 1. Euseb. lib. 1. de vita Constant. cap. 33. & hist. Eccl. lib. 9. c. 8. S. Ioã. Damascenus de imaginibus oratione.

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Senatus autem Populusque Romanus, qui se videbat opera Constantini in libertatem assertum, ingentique formidine liberatum, arcum triumphalem ob eam victoriam marmoreum construxit atque dicauit, cum hac inscriptione adiecta, quae

hanc

hanc historiam eamdem videtur non obscure confirmare.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO
MAXIMO P. F. AVGVSTO
S. P. Q. R.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS.

Placuit hanc hoc loco inscriptionem inserere, quae non obscure innuat miraculum, & crucis apparitionem Constantino factam; idque verbis satis significantibus exprimat, cum instinctu diuinitatis proelium gestum, & victoriam fuisse partam, asseueret. Testimonio igitur Ethnicorum, gloria etiam crucis enituit. Tantum ergo ex hac crucis ostensione affectum erga ipsam Constantinus Imp. concepit, vt crucis vexilli perferendi in pugna, quinquaginta viris fortissimis, & militari disciplina instructis, cura perpetua mandaretur; & si- Euseb. lib. 2. c. 7. 8.

cubi

cubi pars aliqua exercitus laboraret ; ibi ſalutare illud vexillum, tamquam quoddam ſubſidium ad victoriam obtinendam, locari mandabat. Diuino igitur impulſu res ſalutares Conſtantinus aggreſſus eſt, & confecit: ac vexillo crucis vbique hoſtibus oppoſito, exercitum ab illo triumphantem duxit, ac contra hoſtes audacter proceſsit. Crucis idem inſigne propoſuit in ipſo palatij introitu, velut amuletum rerum aduerſantium: atque interdum vultum ſalutari illa paſsionis Chriſti ſignabat nota; crucem non erubeſcens, ſed in eius profeſsione vehementer gloriatus. Idem ſupra caput imaginis ſuae in tabula depictae, crucem ſuperpoſuit, ſubter pedes draconem vulneribus confeſſum, vt virtutem crucis ſignificaret, qua victus & ſuperatus daemon occubuit. Salutari igitur & vitali ſigno crucis, veluti terriculo propugnaculoque malorum, aduerſariorum multitudini oppoſito, ab hoſtibus, daemonibuſque victoriam reportauit. Idem aſſueſcens milites, vt, ſicut ipſe, Deum colerent, ſigno crucis eorum arma ſignabat; &, ſicut ipſemet eſt auctor in epiſtola ad Saporem Regem ſcripta, exercitus eius Deo dicatus, ſignum crucis in humero portabat. Hinc illa nobiliſsima & antiquiſſima omniũ militia Conſtantiniana effluxit;

Euſeb. lib. 3. c. 48. c. 2. & 3.

Sozomenus Eccl. hiſt. lib. 1. cap. 8.

Theodoretus hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3.

xit, & in posteritatem Imperatorum Constantinopolitanorum iure velut haereditario transfusa est, vt milites hoc insigni ornatos armarent,& veluti nobilitatis indicio illustrarent. Quae velut emortua & antiquata, in pristinum gradum, & honorem, ac dignitatem reuocanda, & instauranda esset sub vno aliquo illustrissimo capite & antesignano. Ad illius namque instar & exemplar, reliqua ferme omnia militiarum instituta inuenta, cuius professores crucem in pectore gestant, sicut & milites Constantiniani. Immo Pontifices Maximi, qui aduersus fidei hostes, pios milites armant, adhibito crucis insigni, huius sancti & religiosi Imperatoris exemplum videntur imitati. Idem Constantinus, ne crux deinceps dedecori esse, Ethnicis videretur, qui eam stultitiae loco censebant,& sceleratorum cruciatus erat; supplicium crucis, apud Romanos frequēter vsitatum,lege vetuit,cuiquam adhiberi.

Sozomenus lib. 1. cap. 8.

Quinetiam suam imaginē, seu in nummis expressam, seu depictam in tabulis, iusit semper hoc quoque diuino signo inscribi,cōsignarique:cuius rei etiam adhuc testimonio sunt imagines eius aureis, argenteis, aereisque nummis hac figura descriptae. Quanta autem & qualia bona ex

hac

hac crucis visione fuerint consequuta; vix explicari possunt. Ecclesia Christi, tyrannorum saeuitia & crudelitate liberata, a tot oppressionibus erepta: Imperator summus totius orbis, fidem Christi amplexus, sacro fuit lauacro intinctus: libertas vbique terrarum pijs data publice profitendi, & praedicādi Euangelium: exules & Christiani, & damnati ad fodinas, metalla, & alias sordidas & abiectas operas, cum honore ad propria reuocati: proscriptiones rescissae, facultates redditae, quae fuerant illis ademptae: Pontificia dignitas summi pastoris emicuit: largitiones ecclesijs & clero copiosae datae. Basilicae insignes, & templa innumera, regia magnificentia & sumptibus condita, opibus ditata: magistratus, & honores solis Christianis patescere coeperunt. Crux Christi Ierosolymis ab Helena Augusta prope octuagenaria, quaesita, & inuenta; & pleraque alia, quae longum esset enarrare. Tantum potuit salutare illud signum crucis diuinitus Constantino vere Maximo ostensum. Neque semel, sed ter licuit ei hac laeta visione frui, si constantia sunt, vt credo esse, quae refert Nicephorus: Constantinus, inquiens, quod re ipsa sanctae crucis vim & efficaciā expertus fuerat, summopere eā semper venerabatur, atque admi-

Nicephorus lib. 8. Eccl. hist. cap. 32.

admirabatur. Ac post Helenae reditum, tres immensa magnitudine cruces fabrefieri fecit, ad exemplum earum, quas ter in caelo viderat; primo Romae contra Maxentium depugnans; secundo, cum commisso cum Byzantijs proelio trophaeum de eis statuit; tertio autem, cum Istro, ponte iuncto, Scythas vltra id flumen subegit. Ad imitationem igitur istius triplicis visionis, tres ex aere fieri curauit cruces, eisque sacra haec imposuit nomina: Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ, hoc est, Iesus Christus vincit. Idem alibi diffusius narrat secundam Constatino Maximo visionem factam, in haec verba: Constantinus Magnus cum Byzantinis tertio congressurus, a quibus bis eius copiae fuerant superatae, languidus, & maestus, inopia consilij, continuo oculos in caelum intendit, atque ibi rursum diei vespera, itidem, vt Romae, cum contra Maxentium bellum gereret, scripturam stellarum, ordine, atque distinctione conformatam vidit, hoc sic significantem: Inuoca me in die tribulationis tuae, & liberabo te, & glorificabis me. Stupore igitur percitus, rursus oculos in caelum sustulit; atque iterum crucem, stellis, sicut antea, effigiatam, in caelo, & inscriptionem circum ipsam conspexit, cuius haec verba erant: In hoc ipso signo hostes om-

Tertiæ huius profectionis meminit Cedrenus. pag. 243. Niceph. lib. 7. cap. 47. & 49.

nes vinces. Et confeſtim in memoriam ei, quae antea acciderant, venere. Poſtridie ergo claſsicum canere iuſsit, proeliumq. rurſus cum Byzantijs commiſit: & quod trophaeum, & ſignum crucis praeferri in acie mandaſſet, fortiter illos vicit, ſimulque vrbem ipſam cepit. Victoriae autem eius trophaeum, & ſignum eo loco ſtatuit, vbi nunc porphyretica eius columna in magnam altitudinem ampliter excurrit. Haec de ſpectaculo, ſiue vno, ſiue tribus, caelitus Cōſtantino Maximo oſtenſis: ad alias iam huiuſmodi viſiones referendas properemus.

De cruce in caelo viſa Ieroſolymis, tempore Cyrilli eius vrbis Epiſcopi.
Cap. III.

ANNO Chriſti CCCLIX. Imperij Conſtantij Auguſti, filij Maximi Conſtantini, XIX. Nonis Maij, hoc eſt die VII. eiuſdem menſis, feſto Pentecoſtes, hora fere diei tertia, Cyrillo poſt Maximum Eccleſiam Ieroſolymitanam tūc adminiſtrāte, ſignum crucis in caelo viſum, quod clare admodum reſplenduit, non vt cometes ſolet, diffuſis radijs, ſed luce multa, in vnū conferta, valde denſo iubare, & perlucido emicuit. Tantum ſe in longitudinem diffun-

Sozomen. lib.4.hiſt. Eccl.ca.4. Cedrenus pag. 248. Nicephorus lib. 9. c. 31.

fundebat, quantum est interualli inter Caluariae locum, quo Christus crucifixus, & montem Oliuarum, vbi idem caelos ascẽdit: ad quindecim inquam stadia, quae duo ferme milliaria conficiunt; cuius lux & splendor tantus erat, vt Solis claritatem facile vinceret, & superaret. Ad miraculum timor etiam in re tã insolita & inexpectata omnes incessit: & valde obstupuerunt: ita vt singuli aedibus, foro, & opere, quod quisque habebat in manibus, relicto, pariter cũ liberis & vxoribus, in ecclesiam cõuenerint, & vno ore Christũ laudibus celebrarint, & eumdem laetis animis Deum verum esse confessi sint. Insigne hoc miraculum, in terras omnes promulgatum, multos ex Iudaeis, atque Ethnicis ad Christianam religionem complectendam perduxit. Factus etiam de ea re certior Imperator Constantius, tum nuncijs familiarium suorum, tum & ipsius beati Cyrilli litteris, in haec verba:

Hãc epistolam B. Cyrilli recitat Simeon Metafrastes, & ex imeone Surius tomo 2. sanctorum, 7. Maij.

Sanctis diebus sanctae Pentecostes, Nonis Maij, circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis crux, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum Golgothae locum, vsque ad sanctum montem Oliuarum extensa, in caelo apparuit, non vni aut duobus hominibus, sed ab vniuersa vrbis illius multitudine manifestissime visa.

Neque, vt aliquis putaret, repente apparens, ſtatim euanuit: ſed pluribus horis ſupra terram ſpectantiū oculis viſa eſt, ſplēdoris fulgore Solis radios vincens. Niſi enim ſplendorem ſuum his, qui crucem illam aſpiciebant, Solis ipſius radijs efficaciorem praebuiſſet, Solis ſplēdore ſuperata, & contecta fuiſſet. Quamobrē vniuerſa Ieroſolymorū multitudo, prae diuinae illius viſionis terrore, ac laetitia, repente ad ſanctam Eccleſiam cucurrit. Itaque ſenes, mulieres, ipſae etiam puellae, quae in thalamis antea ſeruabantur, & cuiuſuis aetatis homines, tā indigenae, quam peregrini, tam Chriſtiani, quam qui ex diuerſis nationibus illic erant, concordi animo, & tamquam ex vno ore, cuncti Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, filium Dei vnigenitum, miraculorum effectorem, collaudarent, cū re ipſa & experientia edocti eſſent.

Decuit autem huiuſmodi viſiones caeleſtes, non ſilentio praeterire, ſed pietati tuae, recēti adhuc eius rei memoria, ſignificare; vt ad fidei, quae in te eſt, bona fundamenta, earum rerum, quae nuper oſtenſae ſunt, cognitionem adiungens, firmiorem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū fiduciam aſſumas: ſimulque omni fortitudine conſueta vndique roboratus, vt Deū ipſum adiutorem habens, crucis trophaeū

ſalu-

ſalutare, & omni gloria ſublimius, praeferas: ſignum, inquam, illud, cuius figurā caelum ipſum hominibus oſtendens, maxime glorioſum eſſe docuit. Haec beatus Cyrillus ad Conſtantium Imperatorem. Per id tempus idem Conſtantius Imp. filius Conſtantini Maximi, Gallum conſobrinum ſuum, Caeſarem conſtituit, & ſuo ipſius nomine dignatus, Conſtātium appellauit; & Antiochiam, quae eſt in Syria, miſit, vt partes Imperij ad Orientem iacentes aduerſus hoſtiles impetus tueretur. Vbi Antiochiam cum exercitu peruenit, eodem die quo crucis venerandae ſignum Ieroſolymis in monte Golgothaeo apparuit, & ipſis pariter ſpectaculum ſimile contigit videre in caelis. Signum namque Saluatoris in Oriente apparuit; columna, in quā, crucis effigiem exprimens. Exercitus vario labore fatigatus, tanto miraculo cōſpecto, immenſa crucis luce afflatus, & pariter recreatus eſt. Praeerat tunc ſupremus paſtor Eccleſiae Chriſti Liberius, & tertius erat eius Pontificatus annus, cum hae crucis apparitiones Ieroſolymis & Antiochiae contigerunt, felicitatem & proſperos belli euentus Conſtantio annūciantes. Suos namque duces cum maximis copijs, contra Magnentium tyrannum dimicaturos, in Gallias miſit. Qui quattuor

Socrates Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 24. Nicephorum Eccl. hiſt. lib. 9. c. 32.

annos violento imperio potitus, ad Murſam Galliae caſtellum primo aufugit: deinde Lugdunum adiens, matrem interemit, & Deſiderium fratrem, & ceteros omnes propinquos, qui illic conuenerant: poſtremo, gladio incumbens, ſeipſum tandem interfecit. Decennius vero eius frater, Caeſar ab eo creatus, laqueo ſe ſtrangulauit. Siluanus apud Gallos Occidentales, tyrannus alter emergens, non diuturnus fuit, continuo namque Conſtantij duces occidere. Ita Conſtantius, expeditionibus militaribus ad votum peractis, & breuiſsimo tempore, pacato Oriēte & Occidente, clare conſpexit, virtute & laeto omine crucium id factum, & voluiſſe Deū in filio renouare memoriam, & merita parentis, qui tantopere affectus ad crucem, ipſam ſummo ſtudio ac cultu honorauit.

De cruce, quae comparuit in victima Iuliani Apoſtatæ. Cap. IIII.

ANNO Chriſti CCCLXVI. & ſecundo Imperij Iuliani Apoſtatae, qui deſertor & praeuaricator religionis Chriſtianae, ſacro antea baptiſmo intinctus, monaſterio monachorum nutritus, ſanctis litteris eruditus, cōſortio malorum deprauatus, aſſumpto in hoc commilitone ſatana,

S. Grego. Nazian. oratione

na,

na, immundorum daemoniorum cultor effectus, Imperium viuente adhuc Constantio legitimo Caesare malis artibus occupauit: & ipso paulo post Constantio e viuis adempto, saeuitiam in Christianos exercuit, quorum hostis fuit acerrimus, & Christum insano odio, quem nothum & spurium vocabat, & eius crucem prosequebatur: diuinum baptismum cruoribus abominandis conatus eluere, linguam sortitus disertam, acuit eam contra nostri omnium Dominum Saluatorem Christum, tres conscribens libros aduersus Euangelia, & contra piam Christianorum religionem, quibus multos cõmouit, & haud mediocriter offendit. Aduersus hunc impium Apostatam B. Cyrillus Alexandrinus Episcopus decem libros doctissime de vera religione conscripsit, & suis eum iaculis, Ethnicorũ inquã testimonijs, confutauit. Hoc idẽ elegantissime praestitit S. Gregorius Theologus, quattuor aduersus eumdẽ orationibus editis. Iulianus igitur, veneficis, & magicis artibus totus deditus, & oracula falsorum deorum sequutus, Pontificem maximum eorum Gentilico se ritu constituit & eisdem saepissime sacrificabat. Cumq. de more mactaret victimã, inuentum est in extis pecoris immolati signaculum sanctae crucis, corona circum-

3. aduersus Iulianum.

S. Cyrillus in epistola ad Theodos. Imp.

Theodoretus lib. 3. hist. ca. 2.

S. Grego. Theol. vbi supra. Sozomenus hist. lib. 2. c. 2.

cinctum. Quod ostentũ sacrificij ministros valde perterruit. Idem tamẽ spectaculum, Christiani, pariter atque Ethnici, in suas quique partes trahebant, & diuersimode interpretabãtur: Christiani quidem aeternitatem nostrae religionis dicebant praesagire; eo quod corona, quae circumdabat crucem, victoriae esset indicium: & aeternitatem significare, quod ambitus circuli ad seipsum semper reuersus nullum prorsus constituat & determinet finem. Ethnici autem multo aliter explicabant: significare illam coronam circumplectentem crucem, angustiam, atque repagula, ceu certos carceres, quos vltra non esset amplius proferenda. Princeps ideo artis diuinandi Imperatorem bono esse animo iubebat: nam victimae mactatae res prosperas illi, & ex animi sententia fluentes indicabant. Ita crux coronata in victimae extis, Iulianũ quidem deterruit, sed obdurantem in sua impietate & perfidia, velut alterum Pharaonem, non cõuertit: ita vt conspecto miraculo, nõ solum non acquiesceret, sed veritatem agnitam, ardentius deinceps, & pertinacius oppugnaret. Non tamen hic scelestus erubuit, spectris quibusdam diris exterritus, frontem & pectus signo crucis munire, quam tantopere impugnabat.

S. Grego. Naz. ora.

Refert namque Gregorius Theologus, & alii.

alij, descendisse semel Iulianum in quoddam adytum, plerisque inaccessum, & horrendum, comitem secum habentem hominem in huiusmodi rebus sapientem. Apud Magos namque, diuinationis quoddam genus est, vt in caliginoso quodam specu cum subterraneis daemonibus ob res futuras inquirendas congrediantur; siue quia tenebris magis oblectantur, vt qui ipsi tenebrae quoque sint, ac tenebrarum vitij artifices; siue quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem & congressum fugiunt. Vt autem egregium virum progredientem terrores adoriri coeperunt, ac subinde plures & formidabiliores sonos quosdam insuetos, tetrosque odores, atq. ignea spectra, & laruas sensit, rei nouitate perculsus, & vehementer deterritus, ad crucem, vetusque praesidium confugit, eius se signo muniens, hocque se aduersus illa terriculamenta consignat, eumque persequebatur, opitulatorem adsciscens. Valuit signaculum, cedunt daemones, pelluntur timores: respirat. Rursus audaciam concipit: rursus aggreditur: rursus ijdem terrores vrgent: rursus signum crucis adhibet, ac daemones conquiescunt. Consilij inopia laborat discipulus; atque sacrorum antistes, eius lateri haerens, veritatem sinistre interpretatur: Abominationi

tione 3. in Iul. Apos. Sozomenus Eccl. hist. lib. 2. c. 5. Cedrenus in Annal. pag. 246. Theodoret. lib. 3. hist. cap. 3. Nicephorus hist. li. 10. cap. 3.

tioni illis fuimus, ob crucis ſignum, non terrori: iuſsitque, tum vt animo excelſo & virili eſſet, tũ vt poſtea nihil, quod ad Chriſtianorum profeſsionem ſpectaret, vel faceret, vel cogitaret. His verbis diſcipulum malus magiſter permouet, ac permotum ad exitij voraginem, & ad myſteria denuo peragẽda deduxit. Sic iſtis impoſturis eluſus, daemonum particeps factus, arreptitius, & enthuſiaſmum patiens, furioſo oculorum obtutu ex antro aſcendit. Tot quae acciderunt miranda, in cruce victimae, & in manifeſta per ipſam daemonũ fuga, non potuerũt perditiſsimũ hominẽ a malis arti bus & odio Chriſtiani nominis reuocare.

Anno etiã ſecundo eiuſdem Iuliani Apoſtatae, qui fuit Chriſti CCCLXVI. vt iam diximus, aliud prodigium ſubſequutum; quod tamen, ſicut neque cetera, haud potuit huius animum induratum emollire. Ieroſolymis in caelo lucida crux apparuit. Arcus ingens, quem irim vocant, ad inſtar coronae circumfuſus, crucem ambiebat, a ſacro monte Golgotha, vbi Chriſtus crucifixus, vſque ad mõtem Oliuarum, ex quo idem caelum conſcendit, pertinens; ſplendidior, quam illa, quae ſub Conſtantio Imperatore apparuit, vt refert Cedren⁹. Quo etiam tempore cruces de caelo, veſtes Chriſtianorum, Hebraeorum, & Gẽtilium

Naz.

con-

consignarunt, vt postea referemus,cum de pluribus simul crucibus trademus: nam nunc singularium solum visiones persequimur.Hae vero cruces,altera in extis victimae, altera Ierosolymis, conspectae, proculdubio significarunt, breui persecutionem Iuliani in Christianos cessaturam, proximeque affuturum praesidium crucis, quae eos afflictos solaretur. Si enim protractum diutius huius fuisset Imperium, vix possent tantam persecutionis rabiem sustinere. Qui per omnia Christianis infensus, & nomen & crucem Christi exosa habẽs,omnes artes excogitabat, quibus eius posset religionem abolere. Opportunum igitur de caelo signum crucis immissum, quod iris circuiret, velut nũcius tranquillitatis & pacis mox caelitus immittendae. Neque enim propter ipsum cruces immissae, sed ad solatium solum Christianorum, & confusionem hostium crucis,qualis erat pessimus Iulianus, qui basilicas & templa Dei diripuit,& in cultum idolorum traduxit, qui dignitatibus & facultatibus Christianos priuauit,qui sanguinem multorum sanctorum virorum vbique terrarum effudit, qui Christianos disciplinis institui lege prohibuit, qui non immolantes idolis militia & magistratibus exauctorauit. Vnde eius nece post annũ vnum, mẽses septẽ,

Theodoret. lib. 3. hist. ca. 7.

&

& dies XXVII. subsecuta, magnum gaudiũ Christiani conceperunt, & veluti a carnificis metu erepti, respirarunt, & acclamabant: Diuisisti in stupore capita potentiũ. & Antiochiae, in ecclesijs, & ad sepulcra martyrum, crucis victoriam & trophaeum praedicabant, illius magiae insultantes in haec verba: Maxime fatue, vbi sunt vaticinia? Vicit Deus, & Christus eius. Labarum hic proxime, quod Imperatorẽ solet praecedere, & a militibus adorari, a Constantino crucis figura insignitum, sustulit, & loco crucis, Iouis imaginem supposuit. Carris, quae vrbs est a Caro Imperatore condita, iter in Persas faciens, speluncam quamdam subijt, ibique scelesta sacra operatus, fores feris occlusit, ac cõsignauit, apposita custodia. Eo autem, in ipso persecutionis ardore aduersus Christianos, extincto, fores speluncae apertae, inuentaque muliercula capillis suspensa, extentis manibus, cuius, crudelis ille, ventrem dissecuerat, vt Persarum victoriam in eius iecore inspiceret: ita innumeras mulieres praegnantes interfecerat, vt in earum foetibus iecinora exploraret: multos subinde infantes iugulatos infra simulacra defoderat. Antiochiae autem in regia multae arculae inuentae fuerunt humanis capitibus plenae, & innumera in puteos demersa corpora mor-

S. Grego. Nazianzenus orat. 3. in Iulianum.

Nicephorus histo. lib. 10. ca. 23.

Cedrenus pag. 247.

mortuorum. Haec ideo diffusius retuli, vt quale ac quantum beneficium Deus contulerit in extinctione huius tyranni toti plebi Christianae, singuli cogitare possint, cuius nuncium cruces diuinitus ostensae perferebant; quibus, postquam in Gallijs salutatus est Imperator, aperte aduersatus est. Sed ad alia, hoc monstro praeterito, transeamus.

Non est praetereunda crux illa, quam diuino miraculo Placidus patritius Romanus, dux strenuus, inter ingentis cerui cornua, quem fugientem in siluis, & ad rupem inaccessam se recipientem, persequens vidit, & in ea Christum sibi colloquentem, & exhortantem ad baptismum, & religionem Christianam complectēdam. Hoc signum sanctissimae crucis oraculo diuino coniunctum, non solum sibi, sed & vxori, & liberis, in primis extitit salutare; cum omnes fuerint sacro lauacro intincti, & nomē Placidi in Eustachij permutatum. Felix igitur Placido illa visio crucis, felix Theopisti vxori, felix Agapio & Theopisto eorum liberis, quae de tenebris eos in caeleste lumen vocauit, & sub Hadriano Principe intra aereum taurum candentem combustos martyrio illustrauit.

Simeon Metaphr. Surius 5. tom. 8. Lipomanus 6.

S. Ioannes Damasc. oratione 3. de imagin. Nicephorus li. 3. hist. c. 19

Lux, Solis splendorem superās, atque in ea crux memorabilis, festo Paschatis, visa

anno

anno Christi MCXVIII. Hãc crucis apparitionem memoriae mandatam inueni, sed quae non bonis auctoribus fulciatur: neque deprehendo aliquid insigne eo anno vel proximo accidisse, cuius posset esse indicium.

Ricardus primus, Henrici filius, Anglorum Rex, anno MCLXXXIX. & regni sui primo, iter aliquando agens sereno caelo ad Dunstablum vicum, medio die, vidit, quae ei apparuerat, crucẽ, & in ea imaginem hominis pendentis. Quo ostento Rex rei bene gerendae spem concipiens animo, confestim florentissimum exercitum conscribens, in Normanniam profectus est, & inde per Siciliam ad Palestinam in subsidium terrae sanctae traiecit, admonitus crucis signo ad eam expeditionem suscipiendam, in qua gloriae suae immortali consuluit, & Deum eo obsequio deuinxit.

Polydorus Virgil. li. 14. pag. 244.

De cruce, quae Hungo Pictorum Regi apparuit. Cap. V.

ANNO Christi DCCCXIX. Hungus Pictorum Rex, anno sui principatus VI. aduersus Athelstanum Anglorum Regem proelium periculosum, & valde dubium conserturus, S. Apostolum Christi Andream, in cuius Pictica, Scoticaq. gens,

tutela erat, frequentibus ſuſpirijs & lacrymis, vt ꝓpitius & auxiliaris ſibi eſſet, precabatur. Extēplo aſtās Apoſtolus, Regi in ſoporem ſoluto, plurimam, ait, ſpem in diuina locaret ope; fore vt glorioſam de Anglis poſtera die aſſequeretur victoriam. Accidit mox mirum ſuper Pictorum caſtra. Lucida caelo apparuit crux, illius inſtar, qua Apoſtolus Andreas, pro Chriſti nomine, ſupplicio olim fuerat affectus. Hāc Apoſtolus ipſi Hungo oſtendit: addiditque id oſtentum ante partam victoriam haud caelo defuturum. Re exercitui oſtēſa, alacris pugnam conſeruit; & ſubſidium ferēte Deo ad preces Apoſtoli, Athelſtanus, Saxonum Occidentalium in Anglia Rex, in eo proelio occubuit, copiae eius profligatae, & ad internecionem vſque caeſae ſunt. Nudatis mox pedibus, Rex cum ſuis militibus in proximam ſacram aedem concedunt, gratias de parta victoria Deo, & eius Apoſtolo Andreae acturi. Pollicentur, Hungo auctore, ſe ſuamque poſteritatem ſigno crucis S. Andreae, quoties bellum gererēt, & cum hoſte cōgrederētur, pro inſigni deinceps vſuros, vt tā inſignis victoria, parta diuinitus, grata ſemper recordatione haberetur. Manſit Pictis, & poſt eos deletos, Scotis hoc inſtitutum perpetuū. Crux autē S. Apoſtoli Andreae, Chriſti crucē repraeſentat:

Hector Boethius Hiſt. Scotorū lib. 10. pag. 190.

Ioann. Leslæus de geſtis Scotorū li. 5. pag. 178.

ſentat: proinde idem iudicium ferendum, atque de alijs crucibus caelo diuinitus oſtenſis. Fuerunt autem olim cruces non vnius generis, vt Seneca tradit: Vide, inquiens, iſtic cruces non vnius quidem generis, ſed aliter ab alijs fabricatas, alij capite conuerſo in terram ſuſpēdere, alij per obſcoena ſtipitem egerunt, alij brachia patibulo explicuerunt. Omnes autem qui tollebātur in cruces, clauis ſuffigebantur, vt idem Seneca ait in libro de beata vita. Conſequitur ergo, cruces Chriſti fuiſſe illas, in qua Petrus inuerſo capite, & in qua Andreas, ambo germani fratres, ſuppliciū pertulerunt. Suam crucem adorauit Andreas, antequam in illa ſuffigeretur clauis, tamquam Chriſti ſignaculum, & victoriae ſymbolum.

Seneca d' conſolat. ad Martiā. c. 20.

De alijs crucibus, quae diuinitus apparuiſſe dicuntur. Cap. VI.

GARCIAE Ximenio primo Nauarrorum Regi, crucem de caelo ſuper virentem quercum oſtenſam fuiſſe, quam poſtea in ſuo clypeo, vexillis militaribus, & ſupellectili domeſtica adhibuiſſe, annales Hiſpanici produnt, idemque accidiſſe referunt Ignigo Ariſtae primo Aragonenſium Regi, quam etiam pro inſigni vſurpauit:

qui

qui huius virtute & potentia multas barbarorum acies fuderunt, multa cõtra Agarenos, hostes nominis Christiani, proelia felicissime & praeclarissime confecerunt: sed quia tempora non sunt constantia, neque auctores, vt illa ferebant tempora, celebres, non valde huic narrationi insistendum duximus. Celebratur in Hispania festiuitas triumphi crucis, non ob aliquã apparitionẽ eius, sed ob miraculũ, quod contigit proelio omniũ acerrimo, & periculosissimo, in quo tres Reges, Alfonsus IX. Castellae, Petrus Aragonum II. Sanctius Nauarrae, cum Agarenis ad Nauas Tolosanas in saltu Castulonensi conflixerunt: Dominicus Paschasius canonicus Toletanus, crucem gestans, per omnes acies hostium inoffensus miraculo quidem euidenti penetrauit; & vsque ad finem proelij, citra vllum detrimentum ab hostibus illatum, vexillo salutiferae crucis munitus, triũphauit. Erat autẽ haec crux, quae Archiepiscopum Toletanum, Rodericum tum Ximenium, qui huic pugnae interfuit, solebat antecedere. In vexillis namque regijs, imago Deiparae virginis gestabatur, quae nõ solum Toletanae prouinciae, sed totius etiam Hispaniae, tutrix semper extitit & patrona. Quidquid gestum est in hac pugna, diuino praesidio solum, & crucis ad-

Hieron. Zurit. lib. 1. Annal. cap. 1.

Rodericus Toletanus lib. 8. hist. c. 10.

mirabili virtute comparatum. Nam cum ex hostibus ducenta millia caesa fuerint, ex Christianis vix fuerunt vigintiquinque desiderati. Tanta autem copia hastarum, iaculorum, & sagittarum in castris & loco pugnae, vt biduo exercitus Christianus, ignem ex ijs fouens, dimidiam vix partem potuerit absumere. Contigit autem haec insignis, laeta, & incruenta victoria Aera MCCL. quae coincidit cum anno Christi MCCXII. feria secunda, XVI. Kal. Augusti, hoc est die XVII. Iulij, Pontificatus Innocentij III. anno XV.

Anno praeterea Domini MCCXXXV. mense Maio, cum sex duces, qui sexcentis militibus Hispaniensibus praeerant in regno Valentiae, in loco quodam montis munito, ab innumeris essent Agarenis obsessi, nullumque praeter Deum haberent confugium, eiusque ope proelium vellent cum eis conserere, & prius poenitentiae sacramento peccata sua expiarent, & sacram vellent Eucharistiam percipere, ab hostibus repente inuasi, coacti sunt, omnibus relictis, cum illis manus conserere: multitudine autem illorum caesa, pauci de multis gloriosam victoriam retulere. Cumque ad stationem redijssent, inuentae sunt sex formae Eucharistiae, magno miraculo cruentae, ac in sanguineum colorem

Zurit. lib. 3. Annaliũ c. 37.

rem

rem permutatae, corporalibus tenaciter adhaerentes; quae Darocae hodie, Aragonum vrbe, in templo maximo, magna cum reuerentia asseruantur. Cumque post hoc mysterium cētum fuissent anni elapsi, memoriaque illius loci ob frequentes barbarorum excursiones fuisset omnino deleta; asiduis precibus nobilis feminae, & familiarium suorum ad Deum effusis, illius sacri loci, indicio crucis caelestis, notitia recuperata est. Anno namque Domini MCCCXXXV. feria sexta, & Iulij die itidem sexto, meridie, sereno caelo, crux splendidissima ostensa in cacumine montis, vbi sex illi duces consederant, longitudine quinquaginta vlnarum, latitudine 25. crassitudine quattuor palmorū, prout aspicientes poterant iudicare: conspecta fuit, Sole fulgentior, non solum a proxime astantibus, verum a finitimis populis, rusticis, pastoribus, & qui iter tunc per illum agrum agebant, summa omnium admiratione & laetitia: quae signanter locum sacrum, montem conscendentibus, ostendit: vt non solum antiquo mysterio, sed crucis etiam apparitione deinceps esset illustris, & duplici ratione coleretur. Ad conseruandum autem in posterū tantae rei monumentum, coenobiū est ibi ordinis Praedicatorum constructum, magna populo-

Petrus Antonius Beuter. 2. parte. Martinus Viciana 3. parte.

rum pietate frequentatum : eſt autem ad Lucentum oppidum regni Valentini.

Narrat Surius oſtentum mirabile anno Domini M D L X. menſe Martio ſpectatum in ea Angliae regione, quam veteres Cambriam, hodie Vualliam appellarunt. Annoſa quaedam fraxinus, per medium immani tempeſtate diſſecta, dominicae crucis effigiem prodidit, affabre velut exſculptam, & vndique tum figura, tum coloris ſpecie circumſcriptã, magnitudine pedis humani. Relicta eſt haec ibidem ad ſpectaculum pluribus annis, ad inſigendam pectoribus hominum crucis memoriam tempore ſceleratiſsimo, quoq. illius hoſtes atrociſsimi propius imminerent. Agant inimici, inſaniant, tumultuentur, vt lubet: tantum aberit, vt verae religionis ſtigmata, crucisque piam memoriam ex humanis pectoribus deleant funditus; quin prius caudices arborum, vel ſumma tempeſtate diuulſi, eius ſint ideam ſummis in penetralibus ſeruaturi.

Idem Surius ſub idem tempus, in alia quadam Angliae parte, quã Cantuam vocant, alterius fere ſimilis prodigij meminit, crucis, inquam, effigiem in fimbria nobilioris feminae natam.

De signo sanctißimae crucis, in vexillis ante acies, & a militibus gestato. Cap. VII.

SIGNVM venerandae crucis, non solum in publicis supplicationibus gestatur, sed & Episcopos progredientes antecedit: quod ipsa praeterita, praetereantur a Deo nostrae preces: & duces mysticae militiae expediat, aduersus aëreas potestates, hoc praeeunte vexillo, pugnare. Duces namque populi Christiani, Episcopi existunt, & militia est vita nostra super terram. Signum praeterea habetur militare a plerisque gentibus, quod acies antecedit, proelium commissuris. Hispani namque insigni crucis, in vexillis militaribus albis, rubro vtuntur; Galli in rubris, albo; Scoti cruce S. Andreae candida, in rubris; Burgundi eadem, sed in candidis, rubra. ita eamdem crucem coloribus distinguunt: & sua cuique nationi & genti veluti propria & genuina existit. Olim Hispanis insigne in militaribus vexillis Deipara virgo fuit, sed hoc peculiare Castellanis & Legionensibus: postquam autem alia his regna denuo accesserunt, in crucis signum fuit permutatum, vt omnibus, qui cruce vtebantur, cohaereret: Christi nam-

que effigies cruci affixa, & oſtenſa militibus, animos auget ad futurum proelium. Mortis namque non timetur periculum, vbi tantae reuerentiae cōſpicitur ſignum. Hanc ideo diuerſorum inſtitutorum milites in pectore religioſe geſtant, quo fortiores pugnis aduerſus fidei Chriſtianae hoſtes conſerendis, & conſtantiores reddantur, dum praeſentem memoriam Saluatoris recolunt, qui pro illis ſponte & intrepide in eadem cruce mortem oppetijt: verum coloris & figurae varietas cruce ſignatos diſtinguit. Milites namque olim Templarij, ſicut & nunc S. Ioannis Ieroſolymitani, cruce alba eiuſdem formae & figuræ vtuntur; S.Iacobi Enſigeri, Calatrauae, S.Georgij, Auis, Monteſae, S.Stephani, rubra, varie tamen efformata; Pereiri, Alcantarae, S. Lazari, viridi; Chriſti, alba rubenti inſerta, Pruſsi nigra. Multae praeterea vrbes & oppida cruce pro inſigni peculiari, ſicut & pleraeque familiae, vſurpant.

De multitudine crucium, quae diuerſis temporibus miraculoſe apparuerunt. Cap. VIII.

SINGVLARIVM crucium, quae diuerſis orbis locis caelitus ſunt oſtenſae, ex claſsicis & probatioribus auctori-

ctoribus hucuſque ſummam collegimus: nunc ſupereſt, vt de illarum multitudine de caelo illabente in ornamenta, & veſtes ſacras,& indumenta hominum familiaria, aliquid ſuo ordine referamus. Occurrunt primo loco, vt tempore anteriores, illae quae in Iuliani Apoſtatae & eius militum veſtes e Gallijs redeuntis, vbi fuerat ab exercitu Imperator ſalutatus, ceciderunt, anno Domini CCCLXV. ſub Pontificatum Liberij Papae. Nam cum ab Illyrico Thraciam verſus procederet; vbi in eius regionis montes peruenit, & poſt vindemiam Vergiliae occiderent, vites gemmis & vuis recentibus germinarunt,& ros ex aëre in ipſum, comiteſque eius ita diffuſus eſt, vt gutta quaelibet in ſagis illorũ crucis formam repraeſentaret. Et alij quidem aliter prodigia haec & indicia acceperunt.

Niceph. li.10.hiſt. cap.2.

Per vuas quidem immaturas, intempeſtiuum eius, minimeque diuturnum Imperium, eſt deſignatum. Crux autem, Chriſtianorum doctrinam caeleſtem eſſe, omnesque ea conſignari oportere, portendit. Vtrumque ſane poſterioribus temporibus verum eſſe confirmatum fuit: hoc autem contigit menſe Nouembri. Hae cruces portenderunt mala & calamitates, quas verae religionis amatores eſſent ab hoc

impio tyranno perpessuri, & victoriam, quam Deus de illo esset habiturus, virtute crucis, quam ludibrio & contemptui habuit, Christum Galilaeum, & eius sectatores Christianos, nō aliter quam Galilaeos vocans. Botri & gemmae vitium mense Nouēbri post vindemiam orta, ingenium huius pessimi Imperatoris significarunt, qui citra rationem, & naturae leges, importune & immature, infanda esset scelera patraturus.

De crucibus, quae comparuerunt Ierosolymis eodem Iuliano Imperatore. Cap. IX.

IVLIANVS Apostata, Christianis, quos Galilaeos iniuriae caussa appellabat, infensus, odio illos ingenti prosequebatur: erga Iudaeos autem facilem, mansuetum, & beneuolum se praebuit, non quod eorum religionem diligeret, sed vt aduersus Christianos armaret, cum quibus implacabile odium intercedebat. In iniuriam igitur & depressionem & contemptū Christianorum, illis aperte & impense fauebat: & vt erat auidus sanguinis effundendi, sacrificijs mactandis admodum delectabatur: & cupiebat ceteros immolationi pecudum & caedi incūbere. Iudaeos itaque

Socr. hist. lib. 3. cap. 17. Niceph. lib. 10. c. 32. 33. Cedrenus in Annal. pag. 252. Ruffinus li. 10. hist. Eccl. cap. 38. & 39.

itaque primores ad se ascitos, percontatur, cur non ipsi etiam sacrificassent, cum lex eorum ita praeciperet. Non licere sibi, respondent, alibi quam in templo Ierosolymorum, quod tunc erat euersum, suas victimas mactare, & patria sacrificia peragere. Praecepit Iulianus, vt absque mora templum Salomonis de integro construeretur. Eius mandato impensae ad ea erant a publico aerario suppeditatae: omnia parabantur, vt ligna, lapides, lateres coctiles, argilla, calx, aliaque ad aedificium necessaria. Ad repurgationem faciendam, argenteis hamis, cophinis, & scaphis, & ligonibus vsos fuisse Iudaeos, ferunt. cumque tanto studio ad id opus ferrētur, quoscumque in arte aedificiorum condendorum celebres viros congregabant. Tanto vero in opere, ea solertia, & alacritate pro cesserunt, vt ipsae feminae in sinu vestibusque purgamenta exportarent; & quaecumque eis essent monilia, & mūdum muliebrem omnem non grauate in eam structuram impendebant. Iudaei per totum terrarum orbem dispersi, pecunias multas Ierosolymam ad eam impensam mandauerunt. Opportunum igitur tempus rati aduenisse eius rei, quam dudum desiderauerant, conficiendae, studio omni in id opus maturandum incubuere. Christianis ideo

ter-

terrorem incutiebant, & contra illos ſe inſolenter efferebant,& denique minari coeperunt, ſe non minora illis incommoda illaturos, quam quae ipſi olim a Romanis acceperant. Et quamquam Ethnici, qui Graeci tunc communi appellatione vocabantur, alieno eſſent animo a Iudaeis; eorum ſtudium tamen promouebāt, quo falſas eſſe Chriſti praedictiones, oraculaque eius intercidiſſe, ſuaderent: qui Danielis vaticinium euenturum, & effectum conſequuturū confirmauit: Templū, inquam, Ieroſolymorū euertendū, neque manſurū lapidem ſuper lapidē in illo, qui non eſſet deſtruendus. Et quidem templum illud a Tito Veſpaſiano Caeſare euerſum anno Chriſti LXXII. die VIII. Septembris, qui fuit poſt eius mortem annus quadrageſimus: fundamenta tamen & ruinae ſuperfuerant, & lapides ſuper lapides manebāt, neque erat omnino expleta praedictio Chriſti, quae videbatur nouo templo aedificato eludi. Verum S. Cyrillus tunc Ieroſolymorū Epiſcopus prophetico ſpiritu dixit, iam tempus aduentaſſe, quo lapis ſuper lapidem non maneret in templo, & oraculum Saluatoris penitus expleretur. Quae cum Epiſcopus dixiſſet, & Iudaei omnes lapides antiqui aedificij eruiſſent, poſtridie fundamenta iacturi, noctu ingens terraemotus

Mat. 24. Daniel. 9.

Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico. c. 18.

motus excitatus, lapides veterum templi ſtructurarum concuſsit, vnaque cum aedificijs in proximo ſitis diſturbauit, comminuit, & diſsipauit. Quae res horrorem & formidinem Hebraeis incuſsit: & fama terraemotus ſubſequuti, etiam eos qui longius aberant, ad locum contemplandum attraxit. Itaque cum quamplurimi adeſſent, aliud prodigium ſubſequutum. Ignis namque caelitus demiſſus, omnia opificum inſtrumenta abſumpſit, malleos, ſcalpra, ſerras, ſecures, aſcias, ligones; denique omnia, quae opifices habebāt ad opus perficiendum idonea, flammae incendio vaſtata. Incendium toto illo die graſſatū, res iſtas omnes depaſtus eſt. Globus namque quidam ignis caelitus immiſſus ſubito emicuit, & per medium plateae percurrēs, aduſtis, & exanimatis, qui aderāt, Iudaeis, vltro citroque ferebatur. Hoc iterum, ſaepiusq. & frequentiſsime per totum diem illum repetens, pertinacis & obſtinati populi temeritatem, qui nec priori ſigno viſo ſe continuerat, flammis vltricibus coërcebat. Iudaei igitur grauiſsimo timore perculſi, etiam inuiti, Chriſtum Deum confiteri cogebantur. Et ne haec caſu fieri crederentur; ſequenti nocte, in altarium mappis, libris, ac veſtimentis, atque indumentis, non Chriſtianorum modo, ſed &

Iudaco-

Iudaeorum, & Gẽtilium, tertio iam & euidentiore miraculo, cruces radiorum lumine figuratae comparuerunt, non Ierosolymis tantũ, sed & Antiochiae, atque alijs multis in vrbibus, quasi impressae: quas, cum dies illucesceret, contemplantes Hebraei, & eluere delereque cupientes, nullo adhibito studio & artificio potuerunt: & quem impudẽter inficiabantur, in suis vestibus impressum & signatũ videbant. multae harum cruces nigri coloris fuerunt. Quare obcaecati, & obdurati, felicẽ, quae in manus ceciderat, sortem, Iudaismo retento, abiecerũt. Contigerunt haec prodigia anno Christi CCCLXVI. Imperij Iuliani secundo, & Pontificatus Liberij nono. Sic igitur deterriti Iudaei, atque Gentiles, locum pariter & inaniter coepta reliquerunt. Haec diffusius tractaui, vt crucium apparitionis originẽ clarius explicarem, & rei, vt se habuit, processum exponerem. Fuerũt autem haec cruciũ signa ideo caelitus immissa, vt Christus Deus verbi sui, & praedictionis, quam illi impij traducebãt Ethnici & Hebraei, exitum subsequutum ostẽderet, & sigillo suo proprio consignasse: & frustra esse eorum laborem, qui aedificationem eam tantopere vrgerent, eo quod diuina & immutabilis sententia extremam templo abolitionem decreto suo

consti-

constituisset. Nisi enim Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificant eam.

De crucibus, quae tempore Arcadij Imp. comparuere. Cap. X.

ANNO Christi CCCCVI. Imperij Arcadij IX. Pontificatus Innocentij primi, secundo, proelium eodem Arcadio aduersus Persas inituro, in militum vestibus cruces aëreae apparuere. De quibus insigni parta victoria, auream monetam cum crucis signo cudi praecepit, quae in vsu extitit totius orbis, & praecipue Asiae, & nūc etiam perseuerat, & videre nonnumquam licet. Victoriam certam de Persis hae cruces annunciarunt in proelio militum Christianorum aduersus infideles, & boni ac felicis ominis indicium fuerunt.

Prosper par. 3. de permiss. cap. 34. Genebrard. lib. 3. chron. fol. 231.

De crucibus ostensis caelitus, tempore Vigilij Papae. Cap. XI.

ANNO Christianae salutis DXLI. Pontificatus Vigilij Papae secundo, quo tempore Narses eunuchus copiarum Iustiniani Imperatoris dux, acri ingenio vir, & singulari pietate praeditus, & rebus gerendis aptior, quam eunuchi natura

ferret,

ferret, bellū in Italia aduersus Idualdum, siue Sindualdum, vt Agathias appellat, susceperat, miraculosa & subitanea crucis signacula in Lōgobardiae & Liguriae praecipuis locis, comparuerūt, domibus, ostijs, vasis, & vestimentis hominum adhaerentia. Quae si quispiam extergere & eluere conaretur, tenacius insidebant, & splendidiora fiebant. His cōtinuo subsequuta horrenda pestis, quae immaniter hinc inde grassabatur. Anno mox succedente, inguinaria lues exarsit, glandulis instar crucis enascentibus; qua multo plures, atque antea, interierunt. Intra triduū febri pariter & leto miseri homines corripiebātur. Erat autem vbique luctus, vndique lacrymae effundebantur. Fuga multi sibi consulere opinabantur, vt eam cladem vitarent. Relinquebantur ideo domus habitatoribus desertae, solis canibus ad earum custodiam manentibus. Pecora & armenta, citra pastorem & bubulcum, pro suo arbitrio in pascuis vagabātur. Cernere erat villas & castra, numeroso antea populo exūdantia, postridie habitatore vacua, commercioque hominum destituta, summum silentium tenere. Fugiebant liberi cadauera insepulta parentum, & eos morti proximos deserebant. Patres rursus geminam in filios pietatem exuentes, cum morbis ob-
lu-

luctantes, sine vllo praesidio relinquebant. Domus corporibus exanimis, viae publicae funeribus complebantur. Si quē fortasse humanitas mouebat carum sibi quemquam sepelire, restabat ipse insepultus: & dum obsequium alij nitebatur praestare, & funus defuncto impendere, suum continuo aderat exitium, citra ministerium & opem alicuius. Non sexus, non aetas discrimine libera. Plebeios & ingenuos aequa sors & iniqua extinguebat: inter coniugū & liberorum lamenta, dum assidebant, dū deflebant, saepe eodem tumulo condebantur. Nulla vox sonabat in rure, nullus pastorum sibilus audiebatur. Sata transgressa metendi tempus, intacta expectabant messorem. Vites, decidentibus frondibus, vuarum botros, imminente iam hyeme, integros ostentabant. Tam nocturnis, quam diurnis horis, personabat turba pallantiū. Audiebatur a multis quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium. Nullus cernebatur percussor: oculorū tamen aciem superabant cadauera mortuorum. Pastoralia & rustica loca, in sepulcra fuerunt hominum versa: & habitacula incolarum, in confugia bestiarum, & latibula ferarum, cesserunt. Antecesserat proxime pestilentissimum hoc contagium dira & funesta fames, & ea adeo ingens & imma-

nis,

nis, vt homines carnibus humanis vescerentur, quod Datius Mediolanēsis praesul scripsit. Cruces igitur imminentis pestis indicium tunc fuerunt, & iram diuinam nō alio magis salutari symbolo, quam crucis, placandam, mortales docuerunt.

De crucium caelestium visione, Pontificatum tunc gerente Zacharia Papa. Cap. XII.

Lippomanus. 7. tomo. Surius tomo 6. die 16. Decēbris. Theodorus Studita oratione in S. Platonē. Georg. Cedrenus pag. 379.

ANNO Christi DCCXLVIII. qui fuit Pontificatus Zachariae Papae VIII. & Constantini quinti VI. Caballini, seu Copronymi appellati, quod vndā sacram, dum ea intingeretur in baptismo, oleto foedarit, Leone Isauro Conone impio parente natus, ipse multo impietate deterior, sacrarum imaginum osor & euersor, vnde Simulacriperdae & Iconoclastae cognomen assequutus; a quo eodem imago Christi contumeliose spreta, & simulacrū erroris appellata. Anno igitur huius scelerati Imperij VI. ira Dei in populos illi subiectos desaeuijt. Magnus namque fuit in Palestina terraemotus, & ad Iordanē, perq. vniuersam Syriā, die mēsis Ianuarij XVIII. hora quarta, innumera hominum perierūt millia, corruerunt templa & monasteria, maxime per solitudinem vrbis sanctae. Eodem

dem anno peſtis, a Sicilia & Calabria ſumpto initio, veluti ignis proxima corripiēs, Monembaſiam vſque, & in Graeciam ſeſe propagauit, inſulaſque circumiacentes. ſed & Conſtantinopoli ſubito, & viſu non obſeruante, exiſtere in hominum veſtibus, & in ecclesiae ſupellectili plurimae cruces, quaſi ex oleo factae, coeperunt. Quo ſigno quid portenderetur, cum homines non aſſequerentur, in magnum maerorem atque ſolicitudinem inciderunt. Sed & varia mala, ira Dei immiſſa, populum cōfertim abſumebant, non in vrbe modo, ſed & in vniuerſa vicinia. Viſa quoque hominibus oblata ſunt; ita vt multi hominū, mente abalienati, putarent ſe cum peregrinis quibuſdam, & terribili vultu praeditis hominibus, iter facere: qui occurrentes ſibi tamquam amicos compellarent, ac cum ijs colloquerentur: ac cum annotaſſent quae ab ijs dicebantur, tum demum narrauerunt, cum ea iam exitus comprobaſſet. Videbant autem eos in aedes intrare, alioſque intus ſuſpendere, alios gladio ferire. Euentus pleraque ab ipſis dicta vera oſtendit. Verno tempore primae peſtis malum magis ſeſe intendit, prorſuſque exarſit aeſtate: adeo vt domus ferme omnes concluderentur, & deeſſent qui cadauera humarent: neque etiam ſatis eſſet graba-

torum ad ea efferenda, ſed iumenta ad hoc & vehicula adhiberentur:atque illa in propugnaculis, ſuburbijs, ciſternis areſcentibus, ac lacubus ſepelirentur. Quibus repletis, vineae quoque & horti effoſsi, vix obtegendis cadaueribus ſufficiebant. Super trecenta hominum millia Conſtantinopoli ea peſte perierunt. Ita vnius ſacrilegi Imperatoris impietas in cauſſa fuit, vt tot familiae vaſtarentur: quo,quicquid delirant Reges, plectantur Achiui. Significauit proculdubio hoc diuinum oſtentum, iniurios in venerandam Chriſti crucem, & in ſanctorum imagines, cruce ipſa plectendos, & excruciandos fore, & impietatis praemium cruce ipſa accuſante & indicente relaturos.

De crucium apparitione ſub Imperium Caroli Magni. Cap. XIII.

ANNO Chriſti DCCLXXXIII. cruces in veſtibus Francorum apparuerunt. Pontificatus Hadriani I. Papae anno XIII. Taſsilo Dux Baioariorum, vectigalis antea Carolo Magno Imperatori, rebellis ipſi factus,irritare eius animum, & ad bellum prouocare, in fauorem ſuum aſcitis Hunnis,tentabat. Cuius rei indignitate,& Ducis perfidia commotus Auguſtus,collecto

Eginhartus in vita Caroli Magni.

cto numeroso exercitu, ad ripas Lechi amnis, qui Baioarios ab Alemannis diuidit, castrametatus, per legatos tandem, antequam cum hostilibus copijs cōgrederetur, pacem conciliat, obsidibus a Tassilone filio & duodecim primoribus alijs ipsi datis. Subacta igitur & in potestatē redacta Baioaria, ad Francos victor incruento bello reuersus. Et hunc quidem felicem expeditionis exitum cruces antea visae significarunt. Anonimus Monachus Benedictinus in Caroli Magni Annalibus.

De cruce iterum, Carolo Magno regnante. Cap. XIIII.

ANNO Christi DCCLXXVIII. Pontificatus Leonis IV. Papae primo, signū rubeum dominicae crucis, & multae in caelo hastae apparuerunt. Sequuta Caroli Magni in Agarenos Hispaniam occupantes expeditio. Pōpeiopolim ac Caesaraugustam, primores & regias, illam Nauarreorum, hanc Aragonensium, vrbes, multa praeterea insignia oppida, & arces, eis finitima cepit, quae in potestate eorumdem Agarenorum tenebātur: obsidibusq. ab eis acceptis, laetus cum victricibus copijs in Galliam redibat. Superatisque Pyrenaeorum montium iugis, a Vasconibus, qui vulgariter Guascones dicuntur, populis Aqui- Anonim⁹ in fascicu lo tēporū. fol. 47. pag. 2.

taniae,valde ſibi infenſis inuaditur. Hi inſidijs collocatis(eſt enim locus, ex denſitate ſiluarum, quarum maxima eſt ibi copia, parandis inſidijs peropportunus) impedimenta & nouiſsimum agmen exercitus adorti, penitus deleuerunt. In hac pugna, plerique aulicorum, quos Carolus Imperator copijs ſuis praefecerat, Eghartus regiae menſae praepoſitus, Anſelmus Comes palatij, & Rutlandus Britãnici littoris praefectus, & non pauci alij primores viri occubuere. Vaſcones autẽ, noctis, quae imminebat,beneficio,& locorum peritia, intra denſiſsimas ſiluas ſe abdentes, ſecuri oĩbus impedimentis potiti, atque immani ſtrage edita,euaſerũt: a quib. nulla tũc potuit ſumi,aut ſperari vindicta.Huius accepti vulneris recordatio, altius mẽti Imperatoris inſedit,& rerum feliciter in Hiſpania geſtarum gloriam vehementer imminuit. Loco proximo, vbi pugna conſerta,templum erat cõſtructum, & Dei genitrici dicatum, de Ronces Valles populariter nuncupatum, canonicis qui illi inſeruirent inſtitutis: in cuius coemiterio, qui in illo fuere proelio caeſi,ſepulti. Contigit autem haec pugna anno Domini 778.XIII. ante, quam in Chronologia Genebrardi aſsignatur.Sunt qui hiſtoriae & rerum geſtarum ignoratione, ab Hiſpanis eam cladem

Eginhartus in vita Caroli Magni.

Anonim' Benedicti nus Monachus in Annalib. regũ Frãcorum.

dem illatam Gallis, mentiantur; cum Galli aduersus tunc Gallos pugnauerint. Crux igitur caelo ostensa, victoriam de Agarenis pactam significauit; hastae autē, hostilia arma, quae essent contra crucem, & copias Christiani nominis, perfidi illi Vascones vibraturi.

De signo crucis in Luna ostenso. *Cap. XV.*

ANNO D.MCLVII. Pontificatus Hadriani IIII. Papae III. Frederici primi Imperatoris, cognomento Aenobarbi, vulgo Barbarossae, V. crucis figura in Luna publice visa est: quae non obscure significauit, imperatoriam potentiam aduersus Catholicam Ecclesiam, & eos qui illi vniuersaliter praesunt, Romanos Pontifices, dimicaturā. Luna enim a Sole lumen suum mutuatur, sicut Imperator auctoritatem a Papa. Proinde Luna Imperatorē, crux Ecclesiam, & Pontifices Romanos, qui eius sunt praecipui antesignani, innuit; quod idem portendit & Sol. Hoc igitur symbolo significabatur, Imperatorem Ecclesiā oppressurum, vt qui crucem arcte concluderet; crucem tandem eum superaturum. Fredericus namque summus fuit Pontificum & Romanae Ecclesiae persecutor: vt

Matth. Palmerius in Chron.

qui quattuor ſchiſmaticos, legitimis, Honorio inquam IV. Anglo, & Alexandro III. Senenſi, Pontifices ſubſtituerit: Spoletum diruerit, ſoloque aequauerit: Mediolanum euerterit, ſaleque conſperſerit. Quem fugiens Alexander III. ad Venetos conceſsit. Veneti maritima claſſe, proelio inito, imperatoriam ſuperarunt, eius filio capto. Reconciliatio dein ſequuta, filio reſtituto, & ipſe ad pedes Pontificis ſupplex procubuit, abſolutionẽ excõmunicationis petijt, & poenitentia ſalutari iniuncta obtinuit. In rapido tamen Armeniae amne tandem ſubmerſus, poenas violatae religionis exoluit.

Nicetus lib. 7. de geſtis Manuelis. Tyrius. Naucle-rus.

De ſigno crucis in India viſo. Cap. XVI.

REGNANTE in Luſitania Manuele, & Alfonſo Albuquercio, duce, ſi quis alius, praeſtantiſsimo, praefecto claſsi, & orae maritimae Aethiopiae, Arabiae, Perſiae, & Indiae, ad Camaranum inſulam intra fauces Erythraeas ſemel magna cum claſſe ipſe peruenit. Qui dũ ibi hyemaret, ad Solẽ occidẽtem, quà Regis Abyſsinorũ imperium eſt, purpureae crucis in caelo ſignum praefulgens aliquandiu apparuit, in primis admirandum oſtentum. Quo viſo, Luſitani omnes venerabundi procubuere;

Annales Luſitanici.

Maffeius lib. 5. hiſt. Indicarũ.

re:& Albuquercius, vt erat eximia pietate, ſublatis ad eam manibus, clara voce effuſus in preces; O crux, inquit, noſtrae redē-ptionis argumētum, o ſignum Chriſtianae victoriae, o decorata pretioſiſsimo ſanguine Domini Ieſu, o diuina arbor, cuius vitali fructu, letalis quondam plantae repenſus eſt fructus: In te ſpes omnes habemus repoſitas: te profitemur, agnoſcimus, adoramus: ac ſuppliciter petimus, nobis inter tot pericula, terra, marique praeſidio ſis. Ab ea precatione obortae omnibus lacrymae, & indicium fidei, ac religionis clamor ad aſtra ſublatus. Tum conſono clangore, hinc inde tuba cōcrepuit, & omnia tormenta diſploſa. Dein candida nubes conditam crucem, ſine fine defixis in caelum oculis Luſitanorū, eripuit. Neque Albuquercius praetermiſit, quo minus rē, ſicuti acciderat, teſtato conſcriptā ad Emmanuelem Regem, primo quoque tempore, mitteret. Hoc crucis ſignum proculdubio ſignificauit, ſub Alfonſi praefectura, Chriſti fidem per vniuerſum ferme Orientem propagandam, & regna, vrbes, & inſulas plures virtute crucis Regi Emmanueli ceteriſque Luſitaniae principibus ſubijciendas: ſicut & accidit fortitudine & felicitate tam ſtrenui ducis.

De crucibus caelitus immißis tempore VII. Synodi vniuersalis. Cap. XVII.

CIRCA tempora septimae vniuersalis Synodi, quae fuit Nicaena secunda CCCL. Episcoporum, Tarasio Patriarcha Constantinop. anno Christi 778. vel vt Panuinius supputat, DCCLXXXIX. qui fuit XIX. Hadriani primi Papae, sub Imperium Constantini septimi Porphyrogeniti, & Irenes matris Catholicorum principũ: Solis splendor diebus compluribus obscuratus est insigniter, & crucis figurae in vestibus visae, ceciditque imber cruentus. Variae hinc & atroces calamitates longo tempore afflixerunt genus humanum toto terrarum orbe, bello, fame, & pestilentia, subsequutis. Imber autem cruẽtus, & Sol caligine tot dies obductus, indicium fuerunt manifestum mali ominis, & infaustae cladis subsequentis. Cruces autem citra alia dira ostẽsa visae, victoriam & laetum aliquid significarunt: sed alijs signis aduersis distractae, tristes futuros euentus quandoque enunciant: & ad hoc potissimum immittuntur, vt mortis & crucis Christi memores, patientius pericula toleremus, & mortem cum ipso in cruce fortius subeamus. Admonitio praeterea

Georgius Cedren⁹ pag. 123. & 125.

terea est ipsius Dei irati paterna, quo illũ nobis per poenitentiam conciliemus, & mala impendẽtia eo propitio auertamus: ita enim Regius Propheta enunciat: Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant a facie arcus, vt liberẽtur dilecti tui. Psal. 59.

De crucibus, quae comparuerunt sub finem Pontificatus Ioannis XII. Cap. XVIII.

ANNO salutis humanae 963. sub finem Pontificatus Ioannis XII. a Platina appellati XIII. Imperij Othonis primi anno XXV. lapis e caelo mirae magnitudinis cecidit, saeuiente ventorum atque imbriũ procella: & in vestibus multorum signum crucis, ac quidem cruẽtae, diuinitus apparuit. Quae quidem portenta indicare magnas clades & calamitates Ecclesiae, multi interpretabantur. Erant etenim maximi concitati in Italia motus, ob diuersas Pontificũ electiones. Ioanne namque XII. Pontificatus anno sacerdotij sui VII. mense XII. die XXVII. a Concilio Romano abrogato, Leo VIII. in eius locũ suffectus: & schisma etiam subsequutum, inuadente sedem Apostolicam contra Leonẽ VIII. Benedicto V. Antipapa. Otho Imperator Romanis iratus omnia circa Vrbem depopulari & deuastare, ferro & flam-

B. Platina, Panuinius in horũ Pontificũ vitis. Hermãnus Contractus in Chroni. Sigebertus. Genebrardus Chronologiae lib. 4. Vvitichindus in Chronico.

flammis eſt adortus: Benedicto Pſeudopapa ſede deiecto, & ſecum in Germaniam abducto, Leonem VIII. legitimum Pontificem reſtituit, anno 964. Lapis igitur ingens e caelo cadens, inſue tae ventorum atque imbrium procellae, & cruces cruentae, rerum Eccleſiaſticarum detrimentum & iacturam ſignificarunt: quae mox conſequuta eſt, abrogatione vnius Pontificis, & ſchiſmate excitato a Benedicto V. ſedis Apoſtolicae inuaſore contra Leonē VIII. Quae tamen mala breui fuerunt ſopita, & auctoritate Othonis prudenter repreſſa, & inſtar ventorum & procellarum praeterierunt, & beneficio crucis, non tamen abſque cruore Romanorum, compoſita.

De crucibus inſignibus, multis locis, & eodem tempore viſis.
Cap. XIX.

ANNO Domini MCCXVII. & II. Pontificatus Honorij III. Papae, & VI. Federici II. Imperatoris, biennio poſt celebratum magnum Concilium Lateranenſe ab Innocentio III. ſexta feria ante Pentecoſtem, in Gallijs tres cruces aëreae lucidae diuinitus comparuere, auctore Corio in hiſtoria Mediolanenſi: quarum vna candida verſus Septentrionem, alia ſimilis

ſimilis verſus Meridiem, media dilutioris coloris erat: in cuius intimo homo conſpiciebatur cruci ſuffixus, brachijs ſurſum erectis, manibus clauis perforatis; & capite demiſſo. Et in oppido, Friſie, dicto, dum Cruciata aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes praedicaretur, crux caerulea magno ſplendore Solem antecedere viſa: & in dioeceſi Traiectenſi apparuit ingens crux candida, ex duabus veluti trabibus compacta: quae gradiebatur ab Aquilone verſus Meridiem. Quae caeleſtia indicia permouerunt animum Honorij III. Papae, vt Chriſtiana militia cruce ſignatorum in Aegyptum mitteretur. Eo Ioannes Columna Card. Romanus, Legatus ab Honorio deſtinatur. conuenere Caeſareae Paleſtinae Andreas Vngariae Rex, Ioannes Ieroſolymorum, Henricus Comes Niuernenſis, & Gualtherus Regis Franciae camerarius. Qui anni ſequentis initio Damiatam Aegypti primorem & munitiorem vrbem obſederunt. Heliopolis haec ciuitas quōdam appellata eſt, quam Aelius Pertinax Imp. triplici muro cinxit, & deducto Nili riuo, vrbem inſulae in formam redegit. Exercitus igitur Chriſtianorum vi Damiatam cepit, copias Soldani fudit, eiusque caſtra opulenta diripuit: & tandem foedere cum ipſo icto, lignum ſan-

Bernard. Corius hiſt. Mediolan. par. 2. fol. 1.

B. Platina in vita Honorij III. Papę.

ctiſsimae Crucis, quod 30. annis ante Saladinus in expugnatione Ieroſolymorum abſtulerat, Chriſtianis fuit reſtitutum. Cruces profecto diſcurrentes exercitum hunc cruce ſignatorum, varijs ex militibus, & diuerſis gentibus conflatum, terra marique in Paleſtinam & Aegyptum confluentem, & victoriam aduerſus barbaros, & ſanctae Crucis ligni de manibus hoſtium recuperationem ſignificarunt.

De crucibus, quae ſuper corpus B. Iordani oſtenſae fuerunt. Cap. XX.

ANNO Domini MCCXXXVI. & X. Pontificatus Gregorij Papae IX. & XXV. Friderici II. Imperatoris: B. Iordanus Saxo ſucceſſor S. Dominici in magiſterio & praefectura ordinis Praedicatorum, vir ſicut & impenſe doctus, ita ſanctitate & miraculis clariſsimus, ſummo deſiderio tentus inuiſendi & adorandi loca ſancta, & viſitandi monaſteria quae in Paleſtina ſub ſua cura habebat; e Germania profectus, nauem in Italia conſcendit, quae antequam ad portũ appelleret, prope Acconem vi tempeſtatis ſcopulis allidens, confracta eſt: & ipſe cum duobus ſocijs pelago ſubmerſus, & nonaginta pariter hominibus alijs, qui eadem naui vehebantur. Plerique, qui ex illo naufragio incolu-

-olumnes euaserunt, & proprijs manibus B. Iordanum & duos eius socios sepulturae tradiderunt, testati, quandiu corpora fuerunt eorum inhumata, luminaria de caelo super eadem visa fuisse noctibus illucescere; sed & cruces multae a plerisque conspectae eorumdem cadauera comitantes. Ad quod miraculum loci vicini incolae confluentes, tanta fuerunt odoris fragrantia perfusi, vt decem post continuis diebus, quibus vel eorum corpora contrectarũt, aut sepulturae tradiderunt, suauissimus & iucundissimus adhaeserit, nec eos illo tempore deseruerit. Sed ex eorum tumulis similis odoris suauitas spirabat. Gottifredus & Reginaldus in Palestina Apostolici poenitentiarij, ordinis Praedicatorum, per litteras suas praesidenti coenobij Parisiensis significarunt, quae diuinitus gesta erant, & testimonium ex visu, sicut plerique alij, reddiderunt. Lumina igitur noctu diuinitus micantia, cruces super horum corpora ostensae, odoris fragrantia ex eorumdem cadaueribus & tumulis vndique sparsa, caelestia vtique fuerunt indicia, horum virorum probitatem & innocentiam attestantia. Placuit namque diuinae clementiae, inertis & imperiti vulgi sententiam confundere, qui soleat de violenta morte peremptis iniquius

Leander Alberti in vita B. Iordani lib. 1. Tomo 7. de vitis SS. ex scriptis Surij collecto. 13. Februarij.

quius

quius aliquid iudicare, veluti de ijs irato Deo vindicta sumatur, quasi aliquod crimen atrox admiserint. Iusti autem siue sint vndis absorpti, siue a feris laniati, vel ruina oppressi, vel hostili gladio caesi, vel alio quouis sinistro casu sublati, semper illorum memoria, vita, & mors pretiosa est ante Deum.

De crucibus, quae Toleti in vestibus Iudaeorum comparuerunt. Cap. XXI.

ANNO Christi MCCXCV. Ferdinando III. Alfonsi IX. filio principatum in Hispania tum primum ineunte, & Pontificatus Bonifacij VIII. Papae anno primo, Astulphi Imperatoris III. Toleti regia vrbe, Hebraei, qui vicos aliquot eius ciuitatis incolebant, sicut contingit nunc Romae, Venetijs, Ferrariae, & alijs etiam Italiae locis, die 10. mensis septimi festum expiationis de more iuxta constitutam olim legem celebrabant: cum inexpectato, repentinae cruces, caelitus immissae, in ipsorum aedibus, vestibus, & lineis telis, quae seruabantur in eorumdem apothecis, comparuere. Quo miraculo stupefactos, & terrore nimio concussos, traditum est. Plerique illorum fidē Christi com-

Alfonsus conuers. lib. de bellis Dei. c. 27. Alfonsus Spina lib. 3. fortalitij fidei fol. 222.

complexi, ſacro baptiſmo intincti & regenerati, Iudaiſmo relicto, fuere. Voluit Deus in gratiam religioſiſsimi Regis Ferdinandi, initio eius Imperij, cuius vita ſanctiſsime acta, & miraculis multis clariſsima extitit, perfidis iſtis Iudaeis caeleſtis crucis ſignaculum impartiri, & velamen de cordibus eorum tollere: & docere eos non in rebus inanibus, vacuis, & egenis elementis, & ritibus, ſalutem & expiationem quaerendã, ſed in ſola cruce Chriſti, & ſacramentis ſpem omnem noſtram collocandam, & veram expiationem inde conquirendam.

De crucibus oſtenſis in Heluetiorum pagis. Cap. XXII.

ANNO Chriſti MCCCCLXXVIII. Põtificatus Sixti IV. Papae VIII. Friderici III. Imp. XXXIX. in varijs Heluetiorum locis, acies militares in aëre pugnare viſae; diuerſi generis cruces, ac globi ignis in terram cadentes, veſtigia conſpicientibus quibuſque relinquebant; quod eſt in Baſiliẽſium eius temporis annalibus annotatum. Proſperitatem huiuſmodi ſigna Heluetijs portenderunt. Eodem namque anno feliciter cum Mediolanenſibus & Burgundis pugnarunt: deletisq. eorum copijs,

Annales Baſilienſes.

copijs, insignem victoriam adepti, opulentissimaque praeda potiti, ad propria cum magno triumpho redierunt.

De crucibus admirandis in Germania visis. Cap. XXIII.

Naucle-rus vol. 2. generat. 51. fol. 992.

Cōtinuator anonimus ad Palmeriū

ANNO Christi MDI. Alexādri VI. Papae X. & Maximiliani primi Imperatoris XV. in Germaniae plerisque locis, a festis Paschalibus, & deinceps, notae dominicae crucis, & insignia passionis Christi, vestimentis & corporibus tam virorū, quam feminarum, inopinato apparuerūt: praesertim in aliquot oppidis dioecesis Leodiensis, nōnumquā in templis, nōnumquam in plateis, quandoque etiā in priuatis cuiusque aedibus, etiam in cubiculis, & secretis penetralibus signum perfectum crucis, & id aut nigrum, aut rubicundum, deprehensum; ita vt in aliquibus verus sāguis esse, cum medulla & sanie effusus, putaretur. Fuerunt plurimum cruces simplices, quandoque etiam duplices, formam & figuram insignis sepulcri dominici per omnia imitantes. Apparebant autē maxima ex parte & frequētius super capita mulierū, & praecipue puellarum, & earum peplis superno vertice. Inquisitionem diligētissimam super ea re Episcopum Leodiensem

Episcopus Leodien. in epist. ad Maximilianū Caesarem.

ſem feciſſe, ex litteris eius XVI. Maij ad Imperatorem Maximilianum miſsis, ſatis conſtat; vt nec dolus aut fraus vlla ſubeſſe, aut intercedere potuiſſe, intelligamus. Scribit idem praeterea de quadam puella eiuſdem dioeceſis, aetatis 22. annorum, valde pudica, quae quadam die comperit, admonita a matre, ſignum crucis magnum & amplum in peplo, coloris aurei, & in ſingulis quattuor angulis internis eiuſdem velaminis ſingulas cruces paruas eiuſdem coloris, perinde atque arma ſunt Ieroſolymitani Regis: inque eius medio maiorem aliam crucem cruẽtam. Territa hinc puella, reuerenter peplum depoſuit, & loco decenti recondidit, & aliud purum capiti impoſuit; mox tamen in eodem crux grandis apparuit. Accurrunt plerique rei nouitate perculſi, in quorum conſpectu iterum atque iterum amicula illa mutauerat: factumque vt nouem dierum ſpatio tredecim velamina cruce ſignata renouarit. In mento eiuſdem & ſiniſtra manu ſimiles cruces aliquando viſae, quae poſt duarum horarum tempus euanuerunt. Poſt haec non ſolum ſignum crucis apparuit, ſed veluti haſta quaedam, nonnullis characteribus inſcripta: cruenta quidem omnia, concludebantur intra circulum viridem, totum ambientem caput: qui veluti aculeos,

ſpinarum inſtar, proferebat. Apparuerũt etiam ſanguinolenta crucis ſigna in mariti ſubuculis. Hortatus eſt parochus puellam ſuus, vt Epiſcopum Leodienſem, qui tunc in Traiecto ſuperiore agebat, adiret, peccataque illi ſua cõfiteretur, remq. eam ordine enarraret. Aſſenſit mulier: & non ſolum Epiſcopo, ſed & inſigni cuidam ad S.Seruatium Theologo cõſcientiam ſuã & rẽ detegit. Iuſſa poſt haec, iuit in chorum, deinde ad inuisẽdas SS. reliquias ducta eſt in ſacriſtiam: vbi allato ei nitido velo, rogata eſt, capiti imponeret, ne tanto cum horrore per plateas & vias publicas incederet. Acquieuit femina, nouumque velamen capiti applicuit. Mox erupit in ipſa velaminis parte anteriore ſanguinis tanta copia, vt in extremam vſque fimbriam ad vnius digiti longitudinẽ, & prope duorum latitudinem, defluxerit. Qui aderant, adeo ſtupefacti, vt e canonicis vnus animi deliquio protinus in terram ceciderit. At illa inde abſcedens, publicum cunctis ſpectaculum & mirabilius exhibuit. In ipſo namque recenti & puro peplo, verſus ſcapulam dextram, magna denuo vis ſanguinis orta, in figuram ferme crucis ſe porrigens, & dilatans. Quibus ſignaculis intincta ad eũdem Epiſcopum iterum deducta eſt, recenti adhuc & madẽti cruore,
adeo

adeo vt in conspectu eius attrectatus, digitum illius, adhaerescens, intinxerit; multis qui aderant, admirantibus, & diuinum ostentum aliquid magni portendere conijcientibus. Haec ferme ex epistola Episcopi Leodiensis ad Caesarem Maximilianum scripta habētur, quae etiam a Nauclero & alijs recitantur.

Significasse has cruentas cruces pestem teterrimã, quae per totam Germaniam est grassata anno sequenti, exitus videtur cõprobasse. Non enim solũ in lineis vestibus etiam abditis, & arculis inclusis, sed nudis etiã corporibus hominũ impressae cruces fuerunt, qui eodem anno maxima ex parte peste absumpti interierunt. Subsequuta statim conspiratio rusticorum contra clerum & nobilitatem; quae totam esset Germaniã vastatura, nisi opportune fuisset repressa. Quae, procedente tempore, anno D. MDXXV. in superiore Germania, cis & vltra Rhenum, noua rusticorum seditione renouata fuit; per quam intra menses quattuor, plusquam centum hominum millia, sontium pariter & insontium, periere. Cruces igitur cruentae, vel sanguinis profluuio coniunctae, dirum omen esse solent, pestis, famis, aut belli cruenti imminentis. Significasse illam puellam, Germaniam ipsam, peste afflictam, & ciuili bello

rusticorum, sanguine perfusam, non abs re erit coniectari.

De crucibus iterum per Germaniam visis. cap. XXIV.

Anonimus continuator ad Palmerium. Nicolaus Baselius ĩ auctario ad Nauclerum.

ANNO D.MDIII. cruciculae in vestibus hominum & panibus etiã similagineis per totam fere Germaniam denuo apparuerunt, sed non proditur qualis coloris & formae eae fuerint. Subsequuta eodem anno, posteaquã dirae seruitia pestis epidemiae humanum genus supra menses duodecim grauiter oppressisset, adeo vt tertiam in plerisque locis hominum partẽ, in quibusdam mediam fere absumpsisset, noua quaedam & teterrima mortalibus aegritudo; febres, inquam, pestilẽtes, interni aestus, capitis intolerabiles dolores, pituita, catarrhus, & foetor quidam anhelitus grauissimus, quorum omnium tabe & dysenteria multa millia hominũ periere: totusque demum annus nimium calamitosus, nihil aliud nisi infaustum & dirũ praeseferebat. Eodem praeterea anno, Alexãdro VI. Papa Romae vita defuncto, & Pio III. eius successore intra XXVI. dies erepto, Iulius II. Ligur Pontificiam sedem obtinuit.

De cruce in India ostensa. Cap. XXV.

ANNO D. MDLVIII. in insula Iaponensi Bonzius quidam idolorum sacerdos tanto odio in Christianos exarserat, vt eius hortatu multi Gentilium ad seditionem aduersus eosdem excitandam adeo fuerint inducti, vt crucem Christi, in coemiterio positam, audacter effregerint. Deus autem nihil illorum sceleribus commotus, sed antiquarum miserationum recordatus, pro flammis atque fulminibus, quae sacrilegos exurerent, signa misit e caelo ad eorum tenebras effugandas perquam clara & illustria. Etenim in media aëris regione species crucis, aliaque prodigia valde conspicua apparuerunt. Verum vsque adeo densa caligine mentes eorum obductae, vt insolitam lucem intueri nequiuerint, sed potius in sua pertinacia obfirmatiores, neophytos a Christi cultu reuocare conati sint: neque secus eis acciderit, atque Iudaeis & Graecis, qui crucibus de caelo super eorum vestes illapsis, deterriti, non tamen Iudaismum & Ethnicismum miseri deseruere.

Gaspar Vilela ad societatē suam Iesuitarum Goae agētem.

Maffeius Selectarū epist. lib. 2.

De crucibus Andreanis in Anglia visis. Cap. XXVI.

ANNO D. MDXCI. IX. Kal.Maij, hoc est, die 23. Aprilis, natalibus S. Georgij Martyris, inter horam 21. & 22. in Anglia, comitatu Nortfolciae, circulus magnus in caelo apparuit cũ alijs duobus minoribus,& tres Soles,quorũ medius lucidior & splendidior erat, alij duo obtusioris lucis,sed talis,quae posset mediae noctis tenebras illuminare. Solem mediũ circulus minor versus Occidẽtem ambiebat, maiorem secans. Maior alium circulũ continebat,in cuius medio crux similis illi apparebat,in qua S.Andreas Apostolus suffixus,mortẽ pro Christo subijt;hinc Septentrionem,illinc Meridiẽ prospectãs. Ex aduerso Solis medij, opposita circuli maioris portione Orientem versus,crux alia S.Andreae ingentior priori se ostendebat; brachia duodecim, vt videbatur, longa, medium circulũ veluti diuidens.Circulus maior hemisphaeriũ cingebat latitudine qua solet apparere arcus caelestis.Duo alij circuli & duae cruces Sanctandreanae albae erant in pallorem quemdam desinentes. Haec signa diuinitus in caelo ostensa,clare visa ab ijs, qui Nordouici, vrbe comita-

tus

tus Nortfolciae, vel finitimis locis adfuerunt. Quidam tamen intentius contemplantes tres Soles, & circulum maiorem, crucem mediam non animaduerterunt, nec circulum minorem: ſed a plurimis tamen conſpecta & conſiderata fuere, qui multis ad Londinēſes litteris ſcriptis, haec eadem teſtati ſunt. Et ex epiſtolis multorum Londino datis die 23. Iunij, Romae receptis die 10. Auguſti, natalitio S. Laurentij Martyris, ſeries & ordo rei geſtae & narratio nunciata. Quam mihi Ioſephus Creſquilus presbyter Societatis Ieſu, Londinenſis, Collegio Anglicano in Vrbe praefectus, vir magni candoris & probitatis, humaniſsime, cum exacta figura eorum quae Nordouici in caelo viſa ſunt, donauit. Quam, vt melius percipi poſsit, in aes incidendam curaui, & hoc loco ſpectandam ſubieci.

A. Circulus eſt minimus candidi coloris.

B. Sol medius lucentior & ſplendidior.

C.D. Duo Soles inferiores ſitu & lumine priori; quilibet tamen eorum media nocte caelum poterat ſua luce illuſtrare.

E.F. Circulus medius albus cõplectens medio crucẽ Sanctandreanã eiuſdem coloris, ad pallorem tamen vergentẽ, inter Meridiẽ & Septentrionẽ ſitam.


G.H. Duo circuli albi fuerunt lucentes, qui nihil intus continebant.

I. Crux maior Sanctandreana duodecim brachia longa.

Circulus omnium maximus hemiſphaerium cingens, inſtar arcus caeleſtis, latitudinem referens. Cuius autem coloris is fuerit, in litteris non ſcribitur, cum reliqui duo albi fuiſſe dicantur.

Duo globi inferiores candidi itidem erant, veluti Luna.

Annus


Occidens.
A.
B
C.
D.
E.
F
Meridies.
Septentrio.
G.
H.
I.
Oriens.

Annus hic praeſens, oſtentis & ſignis caeleſtibus vndique plenus, mirabilis exiſtit, & expectationis ingentis: praegnans namque, partus inſolitos pollicetur, quos Deus, pro ſua clementia, ſalutares & felices velit eſſe Chriſtianae Reipublicae. Coniectari autem nobis liceat interpretationem & explicationem huius nouiſsimi oſtenti Anglici.

Circulus maior, quantum ego conſequi poſſum, prouincias & inſulas refert, quae Heliſabethae Pſeudoreginae Angliae vtcumque parent, ſiue ad Orientem & Occidentem, ſiue ad Septẽtrionem & Meridiem eae ſitae ſint. Ab Oriente namque Hollandia & Zelandia iacent, quarum imperium tyrannicum arripuit, vt vſurpatrix eorum, quae ſua non erant. Populi autem illi, ipſi ſe ſponte dediderunt, quo tutrix eſſet & protectrix ſuorum errorum & impietatis, ſubterfugientes ſcholam & diſciplinam Catholicam. Ab Occidente habet Anglia Hiberniam, verſus Septentrionem autem vergunt XLIII. Hebrides inſulae. Has igitur terras ſubijcit oculis circulus ille maior, qui in caelo apparuit.

Soles autem duo collaterales & momentanei, medio, qui permanens exiſtit, veluti oppoſiti, & in vnum tandem coëuntes verſus Occidentalem plagam, ſignant certamen

tamen vnius aduersus alterum imminere, & proxime, super possessione regni Anglici, ab Hibernia initio coepto, quae Occidentalis Angliae existit, caede vel obitu Pseudoreginae praecedente. Sol namque ad occubitum tunc vergebat, & ideo euenta breui effectum suum sortitura significantur. Cum autem Sol vnicus sit in orbe, neque vllum alium secum admittat; ad vnum aliquem legitimum successorem illud regnum iure & armis deuoluetur: sicut illi duo momẽtanei Soles, euanescentes, cedunt tandem superiori. Regnũ namque impatiens est consortij, sicut Sol alterius Solis. Circulus autẽ cingens legitimũ Solem, Hibernia existit, quam Sol occumbẽs propius respicit. Sed mediam magnus circulus secat, quod non tota Hibernia Helisabethae pareat, sed pars illius imperiũ detrectet, Christi iugo se subdens. Igitur tres Soles in magno & paruo circulo ostẽsi, certamen, sanguinis effusionem, contentionem procedentem ab Hibernia in Angliam, mortem violentam Pseudoreginae, vel obitum, aut captionem, siue fugam, & regnum a legitimo successore iure & potentia occupandum, ex signis caelestibus diuinitus ostensis colligo. Neque tamen id ex meo cerebro & pro libidine iudico, sed obseruantia motus multarum apparitio-

num

num ſimilium,quae pares effectus deſignarunt: quas hic multas infererem, niſi prolixitas, & finis propoſitus reuocarent. Sed ad alia explicãda huius oſtenti pergamus.

Circulus in medio magni conſtitutus, habẽs intra ſe crucem S.Andreae, Angliae regnum deſignat,ad crucis verum cultum, & religionem Catholicam Romanam, reducendum. Et non citra myſterium crux Sanctandreana potius, quam alterius formae,apparuit;vt renouaret memoriam alterius, quae eiuſdem figurae,Hungo Pictorum Regi anno Chriſti circiter 819. caelitus oſtẽſa fuit in Anglia:ſalutaris namque, & victoriae ſymbolum fuit in proelio, quo Athelſtanus Saxonum Occidentaliũ in Anglia Rex occubuit, & copiae eius deletae fuerunt,vt antea diffuſius tradidimus:& vt aliud etiam beneficium refricaret Anglis, reductionis, & reconciliationis Eccleſiae Catholicae,quae a Iulio III.Pont.Max.per Reginaldum Polum presbyterũ Card. eius a latere Legatum factae, abſolutione impartita a cenſuris ijs, qui religionis fuerãt deſertores,& poenitẽtia illud crimen eluere teſtabantur, praeſentibus Philippo & Maria pijſsimis Angliae Regibus, anno Chriſti MDLIII. poſt vigeſimum quo infauſtum illud ab Henrico VIII. coeptum ſchiſma fuit. Incidit haec reconciliatio in

diem

diem S. Andreae pridie Kalen. Decembris, hoc eſt, die vltimo Nouembris. Vnde ſynodico poſtea decreto conſtituit Illuſtriſſ. Legatus Polus, nō ita multo poſt factus Cantuarienſis Archiepiſcopus, vt ad tanti beneficij immortalem memoriam, ſolennius atque antea, feſtiuitas S. Andreae celebraretur. Crux igitur S. Andreae Apoſtoli idcirco ſpeciatim a Deo oſtenſa caelitus nūc fuit, vt victoriam ſibi Catholici de haereticis breui parandam, & reconciliationem proxime expectandam, exemplo vtriuſque commemorati euentus, ſibi ſuaderent: ſubſidiumque diuinum inſtare, quod a tot eos malis ſolaretur: memoremque Deum eorum lacrymarum fore; & tot perſequutionum, immenſique martyrum ſanguinis effuſi, proſcriptionis bonorum, ac tandem beneficio crucis, eorum miſertum, cuncta ſedaturum.

Nicolaus Sanderus lib. 2. de ſchiſmate Anglicano.

Magna autem crux Sanctandreana, duodecim brachia longa, duobus alijs minoribus circulis hinc & inde ſociata, maiorem circulum verſus Orientē ſecans, duas prouincias Hollandiae & Zelādiae ſignificat, huiuſmodi cruci, & verae pietati, ac religioni ſubijciendas: ac earum recōciliationem & reductionem ex Anglica dependere, & crucem ſanctiſsimam in illas ex alia Angliae propagandam, quae Oriētales ipſi exi-

ſi exiſtunt, ſicut ſitus crucis & circulorum.

Polyd. Virg. lib. 19. hiſto. Anglicae

Nec vacat myſterio, die natalis S. Georgij Martyris haec oſtenta contigiſſe; cum ſit Angliae tutelaris, & Garterius ordo ſit illi, vt bellatorum praeſidi, dicatus. Quare equites quotannis diem ei ſacrum multis caerimonijs concelebrabant in templo ad Vindeliſorium caſtrum, vbi loci eius collegij Garteriorum eſt. Quapropter Rex Edouardus ibidem inſtituit celebre ſacerdotum collegium, qui res curarēt diuinas.

Haec autem quae ſcripſi, non demōſtrationes, nec reuelationes ſunt diuinae, ſed coniecturae non omnino contemnendae, non aſtronomicis aut aſtrologicis rationibus innixae, ſed Theologicis, quibus vt contemplator rerum diuinarum & eius clementiae vtor: & ex obſeruātia ſimilium apparitionū caelitus oſtenſarum, & exemplis per multas aetates experientia comprobatis, haec praeſentia praeſagire, & diuinare licet. Signa enim ſanctiſsimae crucis in Gallia & Anglia oſtenſa, praeter naturae ordinem omnino ſunt, & continent quid diuinum. Neque enim ante Conſtantinum Maximum, ſignum aliquod crucis in caelo vmquam viſum, memoria extat Chriſtianorum aut Gentilium. Proinde miraculoſae ſunt huiuſmodi apparitiones, & ad indicandum futura, vel homines ſolandos,

dos, aut deterrendos, & a peccatis auocandos, caelitus ostensa a Deo speciatim creduntur. Sed de his satis.

De crucibus in Gallia nouissime ostensis. Cap. XXVII.

HOC praesenti anno a Christo nato MDXCI. ex multis ad principes viros & familiares fide dignorum litteris, Bituri seu Auarico, vulgo Burges vocata, die XXV. & XXVIII. Maij., & Lutetiae Parisiorum, & alibi scriptis, intelleximus, multas & paruas cruces caelitus illapsas, non citra miraculum, in diuersis Galliae locis manifesto apparuisse: easque non solum in templis conspectas, ornamentis altarium, & sacerdotum vestibus, sed in priuatorum etiam consuetis, quibus amiciebantur, indumentis. Priores visae sunt Corbie, vrbe Gallice ita appellata, post necē Domini a Rambur, patritij ordinis, familia valde nobili & antiqua, & Catholicae religioni impense addicti. Qui cum in manus hostium incidisset, vulnere letali in capite accepto, sancte occubuit. Posterius in multis Picardiae vrbibus, veluti Ambianis, & Montdidier, simile spectaculū oblatū in sacris corporalibus & mappis altariū, superpelliceis sacerdotum, & vestibus multorum ciuium. Eadem crucis

simu-

ſimulacra poſt vigiliam Paſchae, die 14. Aprilis, oſtenſa fuere Pariſijs, in pleriſque templis, & alijs multis locis, ſuper corporalia & altarium mappas, eccleſiaſticorū & laicorū veſtes. Vt nemo autem haeſitare de hoc miraculo poſſet, & naturae vires excedere hoc oſtentū omnes clare cognoſcerent: denuo Burges nouae cruces exortae, quae piorum fidem confirmarent, ſicut ex doctorum illius academiae epiſtolis conſtitit: coloris autem fuerunt ligni alicuius vulgaris. Eſt vero Burges, quae Latina appellatione Bituris, & Auaricum a Caeſare nominatur, Galliae Aquitanicae antiqua vrbs, Biturigum metropolis, multitudine ciuium, frequentia mercatorum, publicis & ijs inſignibus ſcholis, paucis ciuitatibus in vniuerſa Gallia cedens. Sed de apparitionibus S. crucis in Lutetia Pariſiorum ſpeciatim dicamus.


XXIII. Maij, die Aſcenſionis Dom. in tēplo S. Ambroſij, vbi quadraginta horarū continuae preces a populo Pariſienſi tunc effundebantur ad altiſsimū pro illius regni calamitatibus reuocandis, & ſeditionibus ac diſsidijs religionis diuina ope componendis; apparuit crux ſuper podere ſacerdotali, camiſum Itali, aluam Hiſpani vocant. Die ſequenti 24. Maij in eccleſia S. Mariae, quae eſt collegij Ieſuitarum, ma-

gno

gno numero cruces aliae comparuerunt ſuper linteamina altarium, & mantilia, quae ſupponūtur ſacrae communioni percipiendae; & ſuperpelliciū concionatoris.

Quae res cum diuulgaretur, totus populus conſerto agmine vndique confluxit, vt cruces ſpectaret. cum autem turba per duas horas magna contentione concurreret, ecce nouus rumor ad eorū aures peruenit, ſimiles alias cruces multis in alijs templis denuo comparuiſſe, in aedibus inquam ſacris Deiparae virginis a Furſcio, S. Vrſini, S. Petri, S. Hippolyti, S. Oſtrilli, & ſacratis alijs pluribus locis. Deſerta igitur eccleſia Ieſuitarum, ad alias feſtini conuolant ciues, ſeſe prae multitudine conculcantes & premētes, maiori contentione, quam prius: praeſertim ad illā Deiparae virginis a Furſcio, aut rectius, Furni calidi(ſic enim vocata ob inſigne quoddam miraculum, circa infantem Chriſtianum a Iudaeo in fornacem ardentem coniectum, & a Deipara virgine illaeſum ibi ſeruatum.) vbi apparuit crux duplex, magna & admiranda, inſtar crucis, quae Chriſto ei ſuffixo ſupponitur; eiuſdem lignei coloris, cuius & paruae; longa tres pedes; brachia autem tranſuerſa tam ſuperiora quam inferiora, ex vna parte ſemipedem, ex alia paulo productiora & longiora exi-

ſtunt,ita vt ſemipedis menſuram aliquantum excedant.Longior & rectior pars crucis, & brachia tranſuerſa lata ſunt ſeſquidigitum. Super angulos ſuperioris crucis ſertum eſt, ſeu corona ſpinea, inſtar eius quae hic proponitur.



Sed quod maiorem admirationem auxit, id fuit; crucē illam, quae in Deiparae virginis ſacra aede ſuper linteamen altaris Crucifixi apparuerat, quia locus erat anguſtus, & tam innumero populo recipiendo, qui confluebat ad eam videndam, non ſufficiebat, e ſitu illo leuatam, & muro ſuffixam prope feneſtram, quae lucem copioſam intra aedem immittebat, vt facilius & cōmodius ab vniuerſo populo ſpectari poſſet, euanuiſſe ſtatim ferme totam, & pauca veſtigia crucis relicta: ſed intra horam & ſemis priori loco reſtitutam, iterum in eamdem formam, integritatem, & colorem redijſſe, quibus prius fuerat viſa, multis qui adſuerunt, vtramque apparitionem oculatim contemplantibus. Haec narratio ex litteris diuerſorum collecta, opera Illuſtriſsimi Cardinalis Senonenſis, Archiepiſcopi Remenſis, Galliarum primatis, viri vt docti, ita religioſiſsimi, S.D.N. Gregorio XIIII. Pont.Max. porrecta, & mihi etiam ab Henrico Alberto I.V. doctore, eiuſdem Cardinalis familiari, communicata. Per aliorum etiam epiſtolas certiores reddimur, alias cruces apparuiſſe in mappis altaris apud S. Dionyſiū de Sarcere, tres in vno corporali apud S. Germanum Altiſiodorenſem, alias quidem ſimplices, alias vero duplices, ligni, ſiue ferri

rubigine confecti, colorem referentes: quae adeo quandoque firmiter & tenaciter inhaerebant, vt nulla arte ac diligentia elui, aut extergi possent.

Quale iudicium ferri poßit de istis crucibus in Gallia conspectis.
Cap. XXVIII.

SVNT in rebus quibusdam sua miracula, quae praeter solitum & consuetum naturae ordinem hominibus sese ostendunt: inter quae crux est, futurarum rerum non infida praenuncia. Saepe enim in illa descripta reperiuntur veluti diuina manu, quae non temere & casu esse, vel sera posteritas deprehendat: loquitur enim, quando homines tacent. De istis autem Galliae crucibus, quantum humanae coniecturae assequuntur, non possum nisi prospera, fausta, & laeta sperare. Confidendum namque est de diuina benignitate & clementia, quae non solet suos deserere, sed tẽpore iniquioris calamitatis adesse: opem laturum sacri foederis socijs, qui pro eius obsequio, & auita religione tuenda, decertant. Fidelis namque est Deus, qui non patietur suos milites tentari & affligi supra id, quod possunt, sed faciet cum tentatione prouentum, vt posint diutius & con

stan-

ſtantius ſuſtinere. Si enim Deus praeuaricatores & deſertores fidei orthodoxae patienter tolerat, & non cõtinuo gladium ſuae iuſtitiae aduerſus eos exerit, & arcum ac ſagittas ſuae potentiae corripit, & de caelo, vt commeriti erant, tangit, ſed ſupplicium in aliud & aliud tempus differt, & regnare facit hypocritam propter peccata populi; cur ſuos fideles non magis eum protegere credamus, & tempus eis poſt tot erumnas concedere velle reſpirandi? Quis enim neſcit, quanta & qualia ſubierint Pariſienſes mala, quam longam & duram obſidionem, quae inter memorabiles & celebriores, quae in orbe vmquam contigerunt, perpetuae merito debeat memoriae mandari? quantam rerum omnium caritatem, & annonae penuriam, qualem famem, quot incurſiones & vaſtationes hoſtilis exercitus, qualem formidinem, ne ea vrbe, omni praeſenti auxilio deſtituta, & ad ſummam inopiam redacta, potiretur? Omnia tamen ſtrenue & ſpõte tolerarunt, ne detrimentum aliquod fidei Chriſtianae ſubeſſet: fortunas omnes, libertatem, vxores, liberos, & vitam ipſam exponentes, ne vera religio, falſa inducta, in illo regno aboleretur: martyrij imaginem quamdam veluti exhibentes, & fidei ſuae integritatem & teſtimonium poſteritati commẽdantes.

Quod & aliae Galliae ciuitates ſacro foedere ſociatae, glorioſe praeſtiterunt: ab hoſtiũ exercitu obſeſſae nõnullae; quaedã incurſiones, inſidias, & deuaſtationes hoſtiũ, & caedes etiam piorum ciuium paſſae, ſpecimen virtutis & verae fidei dederunt; anteſignanam & ducem Lutetiam imitatae, quae velut mater, magiſtra, princeps, & propugnaculum eſt totius Gallici regni: Cũ autem ea omni humana ope deſtituta videretur, & praeda hoſtium facta, continuo lumen caelitus illuxit, & velut Caſtores nauigantibus, adfuerũt duo exercitus, ſacri foederis inquam, & Catholici Regis Hiſpaniarum Philippi; quorum conſpectu & hoſtis territus ac fugatus, & tempeſtas ſedata, amota fames, & tranquillitas ſubſequuta: & cũ Chriſtus videbatur dormire, tunc primum dexteram porrexit, & bono animo eſſe iuſsit obſeſſos. Diſsimulat namque Deus nõnumquam, & differt ſuis ſuppetias ferre, delectatus videre pugiles & athletas egregie decertantes, vt potiori illos praemio, victores, & triumphatores coronet. Poſt tot igitur plagas inflictas, tot labores, & aerumnas pro Chriſti nomine ſuperatas, numquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Conuertet nunc demum flagellum ſuum in Pharaonitas, Amalechitas,

tas, & Philistaeos huius temporis,& victoria certa sui potientur;& post noctem,dies; post tenebras, lux; post tempestatem,tranquillitas; post nubes & imbres, serenitas; post aestum,frigus; post nauigationem,securus portus; post luctum, hilaritas subsequentur; & post captiuitatem, libertas: exauditis Parisiensium precibus, qui pondus portarunt diei & aestus,& aliorum sibi foederatorũ populorũ, miserebitur Deus, & a iustitiae seueritate sinum eis clementiae aperiet; cum hae virtutes, ceu sorores geminae, se numquã seiungi amplexu mutuo patiantur. Licet enim Deus has cruces caelitus immiserit, non tamẽ quid significarẽt explicuit, nec est qui certo earũ euẽtum posit iudicare. Vult enim Deus admonitam, sed ambiguam esse mortalium mentem, & peculiaria quaeq. aeternae ipsius prouidentiae nos cuncta concredere: incõprehensibilia enim sunt iudicia eius,& inuestigabiles viae eius: coniecturas tamẽ nobis ipse permittit, & de praeteritis multis, nõnulla futura iudicare. Non sum propheta, neque filius prophetae: audeo tamen mihi de diuina clementia & liberalitate polliceri,cruces in Gallia ostensas, futuras esse laetas,felices, & Catholicis salutares, & hostibus sacri foederis funestas & luctuosas. Semper enim crux signum est vi-

ctoriae ijs, qui ſub cruce militāt, ſi caelo diuinitus immittatur; inimicis autē crucis, ſymbolū eſt iacturae, detrimenti, & cladis.

Coepit iam lux crucis, diuinitus in Gallia oſtenſae, ſe pādere, & ſolatium interim aliquod ſacro foederi, tādiu afflicto, exhibere, Henrici Lothoringij Ducis liberatione ſubſequuta, triennium ferme poſt eius captiuitatis initium, & Hērici parentis, & Aloyſij patrui Cardinalis Guiſianorū caedem Bleſis anno 1588. perpetratam. Qui cum in Turonēſis vrbis arce arctiſsima ſub cuſtodia captiuus teneretur ab Henrico Vendoſmēſi, & ab eo ſaepe tentatus, vt vel errores ſuos, vel ſaltem Catholicus exiſtēs ſuas partes ſequeretur, numquam blandicijs, precibus, aut promiſsis potuit eius animus emolliri, aut minis vllis deterreri, quo minus virtutes & religionem parentis & patrui conſtantiſsime ſequeretur, libertatem animi potiorem ducens, quam corporis, & ſpem omnem in Deum collocans, largitorem omnium bonorum. Diuino igitur inſtinctu actus, facinus excogitauit generoſo & excelſo eius animo dignum, libertatē etiam cū vitae periculo moliri: & fune clāculum parato, & familiaribus ſuis ad eam rem inſtructis, per eū e feneſtra arcis, quae ſola patebat, & ferreis non erat clatris impedita, ſe demiſit. Funis autem a ſuis

ſuis familiaribus ſuſtentatus, ante viginti pedes, quam terram contingeret, eum deſeruit, ſiue quod breuior eſſet quam oportuiſſet; ſiue quod pueri, qui eum tenebant, metu tormentorum, qui in magna copia a militibus arcis explodebantur, perculſi, tandem remiſerint. Erat tunc dies XVIII. Kalendarum Septembrium, & exaltationis ſeu aſſumptionis Deiparae virginis Mariae, quo caelos triumphans aſcenderat: ad quem vſque, ceu ſibi & maioribus propitium, poenitentiae & Euchariſtiae ſacramentis munitus, recto conſilio fugam diſtulerat. Caſu illo nonnihil laeſus, vires cõtinuo reſumpſit, & curſu quam potuit velociori, non in flumẽ arci proximũ ſe proripuit, vbi tormentis facile potuiſſet diſcerpi; ſed muros circuiens ciuitatis, quando meridiano tempore omnes eius portae erant occluſae, ſuburbia penetrauit, non ſine periculo inſequentium: tandem equo a ruſtico, quem obuium habuit, per vim adempto, miraculoſe fluuium tranauit, qui continuo niuibus eliquatis ita intumuit, vt nullus cuique patuerit tranſitus. A ſuis, qui eum vltra amnem expectabãt, ſummo cum gaudio exceptus & lacrymis, in loca tuta ſe recepit: & tandem Aurelianum incolumis, vbi nunc agit, peruenit. Quis non videat, quantumuis ſtupidus, progreſſum & proceſ-

processum totius huius negotij, non tam humana industria, quam crucis & Deiparae virginis patrocinio & subsidio peculiari peractum, & miraculum intercessisse? Proinde crux, quae huius liberationis fuit indicium, futuros euentus alios feliciores etiam pollicetur: & maiora in dies & potiora ab ea speranda. Quod si aliquando cruces caelitus ostensae, pestes, terra emotus, & alia mala indicarunt, id factum aut haereticis principibus populos sibi subiectos pessimo eorum exemplo euertẽtibus; aut alia pariter prodigia visa, quae significationem crucis deflectere, & alio distrahere, annuente Deo, valuere. Et tũc etiam cruces forte significatrices fuere temperamenti & moderationis malorũ, quae proxime imminebant: ne totam Deus iram effunderet, & in cũctos mortales desaeuiret. Itaque crux vniuersim, aut laetum aliquid, aut malorum temperiem, caelitus ostensa, significauit. In crucibus autem per Galliam ostẽsis nullum triste prodigium comparuit, quod posset, laeta, quae portendunt, turbare: consequitur ergo, victoriam, crucis symbolo, & felicem rerum exitum portendi sacri foederis sectatoribns. Adde, quod in templo Deigenitricis Furni calidi, vbi crux illa ingẽtior apparuit, formam & figuram expresit illarũ crucium, quas

olim

olim milites in pectore gestarunt, qui terram sanctam expugnarunt, & de manibus barbarorum infidelium receperunt: & eamdem vniformem, supra vestes plerique milites sacri foederis, pietatis ergo, & antiquae expeditionis memores, collocarunt. Sicut ergo, virtute illius signi, cruce signati ingentes victorias de Christiani nominis hostibus retulerunt, & laetos egerunt triumphos; ita nunc idem victoriae signum comparuit, vt admoneret, in eo hostes, non aliter quam Constantiniano, superandos, & penitus fore delendos. Accedit, coronam, quae super crucis brachia est visa, victoriae etiam esse symbolum, & laeta nunciare, & in cruce prosperos euentus polliceri. Quod spinea sit, bellum significat quod antecedit victoriã. Quod autem ex vna parte contractiora & breuiora brachia ostendat, significare non obscure videtur, aliquam tandem regni imminutionem futuram, & non ita late, vt antea, fines eius propagandos. Ceterum videtur crux illa Catholicos consolari, & bono animo esse iubere, breui adfuturum diuinum subsidium, & ipsam interim pignus rei bene gerendae e caelo demissam, & constantes mirabili victoria & corona potituros. Memini me aliquando legisse, S. Euthymium, Patriarcham olim Constan-

Eustathi9 presby. in eius vita. Simeon Metaphrastes. Surius to. 2. die 6. Aprilis.

stan-

ſtantinopolitanum, vitae innocentia & sā-ctitate clariſsimum, ab Aetherio, conuenticulo malignorum fauente, illius ſedis inuaſore, cōtra ius & fas in exilium miſſum, eccleſiaq. ſua pulſum fuiſſe. Qui dum in inſulam, Princepo, dictam, die Sabbati, nocte profunda, vi tempeſtatis appuliſſet, quam primum illuxit, vidit crucem in pariete pictam, cum hoc elogio: Chriſtus nobiſcum eſt: ſtate. Qua quidem re vehementer laetus, gratias egit Deo, qui hanc ſibi conſolationem attuliſſet.

Nicephorus lib. 17 cap. 3. & libro 14. cap. 34. Cedrenus pag. 303.

Simile quippiam tradunt Nicephorus, & Cedrenus, Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores. Anno Domini DXXIX. Iuſtiniani Imper. II. Antiochiae, quae & Theopolis, id eſt Dei ciuitas, eſt appellata; die penultima Nouembris, terraemotus ingens, & grauiſsima tempeſtas oborta, totam ferme vrbem vaſtauit, adeo vt vniuerſi nudis pedibus ſupplicatum proceſſerint crebris eiulatibus. Cū Deus religioſo & pio cuidā viro viſione & oraculo indicauit, vt pro foribus, vel liminaribus ſuperis domorū, inſcriberent: Chriſtus nobiſcū: ſtate. Quo facto, ira Dei reſedit, & terraemotus ceſſauit.

Non ſolum Euthymio, & Antiochenis haec ſalutaria verba, ſed vobis etiam Pariſienſibus & foedere iunctis ſocijs fiunt, & ijs ſua propria manu Deus ſubſcribit, & genui-

genuino ſigno crucis chirographum munit; quo metum ſecludatis, & ſoluatis pectore curas. Hanc, ſi ſapitis, pro ſymbolo & amuleto in vexillis, ſignis militaribus, armis, & clypeis geſtare ſententiam deberetis, ſigno crucis coniunctam: vt proſpere vobis & ex animi ſententia omnia cedant, ſicut cuncti qui pietatem colimus, vobiſcũ optamus. Durate igitur, & voſmet rebus ſeruate ſecũdis. Noua res oblata, timorem lenijt. Hic primum ſperare ſalutem auſi, & afflictis melius confidere rebus, vt Ethnici poëtae verba in noſtrum inſtitutum commode transferamus. Habetis Deum propitium & fauentem, qui praeſto vobis in quacumque preſſura aderit. Habetis eius vicariam curam in terris agentem Gregorium XIIII. qui totus ſuppetijs vobis ferendis incumbit, & vt verus pater, & paſtor, ſolicitus eſt de vobis. Habetis Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicũ protectorem & tutelarem voſtrum: habetis multos principes finitimos, qui pro vobis decertant. Habebitis praeterea legiones Angelorum, qui veſtra caſtra ſequentur. Non eſt igitur, cur formidetis, & pauore cõcutiamini. Si enim Deus pro vobis, quis contra vos? qui enim non eſt vobiſcum, contra Deum eſt; & qui non colligit vobiſcum, diſpergit. Negotium Dei agitis: Virg. 2. Aeneid.

iura

iura & leges ſanctas eius ac inuiolatas tuemini, res communis & publica a vobis tractatur, quae tantū intereſt Italiae & Hiſpaniae, quantum & Galliae: ſua enim cuique res agitur, paries cum proximus ardet. Seruate igitur Italiam & Hiſpaniam in Gallia, vt ambae hae prouinciae perpetuo pro tanto ſint vobis beneficio deuinctae, & obſequio obligatae. Salus enim harum trium ex religionis obſeruantia pendet; qua neglecta, omnia in praeceps ruunt, & diſsipantur monarchiae, imperia, regna; & quicquid ſub Sole eſt, firmum conſiſtere nequit, ſed continuae mutationi ſubiaceat neceſſe eſt. Religio namque Catholica Chriſtiana, quam a maioribus veluti haereditariam accepimus, a ſanctis patribus confirmata, vinculum eſt pacis, concordiae, vnionis; quam qui abiecerint, & alia falſa ſuffecta, deſeruerint, tenebras ſibi offundunt, Babylona conciliant, & ſemina perpetuae diſcordiae nutriunt. At de hac re hucuſque ſatis: ad alia multa, quae de cruce ſuperſunt dicenda, tranſeamus.

Quid ſignificarint cruces inter ſeſe concuſſæ. Cap. XXIX.

TEMPORE Phocae Imperatoris, qui coepit regnare anno Domini 595. cum

in

in oppidis quibuſdam, quae Siceis erant finitima, ſupplicationes de more fierent, & cruces, quae geſtari ſolent, horribili mirandoque ſpectaculo per ſe cõcuterentur, & commouerentur; interrogatus S. Theodorus Siceorum Archimandrita, quid ſibi id vellet? reſpondit: Deum, o filij, precibus placate, quoniam magnae mundo imminent calamitates. Idem a Thoma Patriarcha Conſtantinopolitano, multis precibus exoratus, & abiuratus etiam, vix illi dedit reſponſum. Tandem dixit, eam crucium concuſsionem, multa Chriſtiano populo grauia, moleſtaq. praenunciare: plurimos, inquam, a Chriſtiana religione defecturos, barbararum gentiũ incurſiones, & magnam ſanguinis effuſionem, & ingens exitium, & in vniuerſo orbe ſeditiones futuras, & ſanctas eccleſias deſerendas, & diuini cultus atque imperij interitum, & aduerſarij aduentum appropinquare. Quae omnia, ita vt ſanctus Theodorus praedixerat, euenerunt, imperante Phoca, qui a Cedreno in annalibus, vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, a miſeratione alienus, moribus feris, & haereticus deſcribitur. Eo tempore, quo cruces ſunt cõcuſſae, Hebraei, qui Antiochiae degebant, ſeditionem aduerſus Chriſtianos mouentes, interfecerunt Anaſtaſium,

Georgius presbyter in S. Theodori vita. Simeon Metaphr. Surius tomo 2. 22. April. & tom. 3. 5. Maij.

Cedren. pag. 334.

magnum

magnum Patriarcham eius vrbis, pudendis eius in os ipsius etiam insertis, pariterque cum eo multos ciues trucidarunt: idq. factum anno Phocae VIII. qui fuit Christi 603. in praecedenti autem fuerant cruces concussae. Scribit idem Cedrenus, quemdã sanctum monachum ante Phocae caedem, cum Deo veluti disceptasse, & quaesiuisse, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem? responsumque per vocem accepisse: Deteriorem alium inueniri potuisse nullum: sed hoc meruisse Constantinopolitanorũ flagitia. Heraclius ob huius tyrannidem Imperium occupauit: & Phocam ignominiose solio deiectum, Imperatoria veste spoliatum, atraque indutum, manibus & pedibus primum, mox capite & pudendis trũcatum; quod reliquum fuit militibus tradidit, qui illud in foro Bouis combusserunt.

Cedrenus pag. 334.

Sunt, qui dicãt, in mutatione Gallici regni de Merouingis ad Carlouingos, & de Carlouingis ad Capetingos, cruces caelitus visas in Gallia, pisces, & coronas: verũ hoc nullo fundamento, aut auctore, quod hucusque sciam, comprobatur, & ideo ab illis describẽdis abstinui. Nunc reliqua de cruce prosequamur. Tractaturi sumus post hac de materia crucis, de mensura, de tempore, & caussa quare fuit occulta, de eius-

eiusdem inuentione, exaltatione, vsu, & rebus tandem eius admirandis: & ita finem huic libro seu tractatui imponemus.

Quae fuerit materia Crucis. Cap. XXX.

QVAE fuerit materies, ex qua Crux Christi fuit confecta, in qua pependit, & suffixa est nostra salus, certo non constat; sed coniecturis non leuibus ducti, inuestigari eã, & explicari posse speramus. Fuit Gottefridus Viterbiensis, sacris Imperatorum scrinijs praefectus, qui referat somnia quaedam: Hiontum Noë filium, a patre edoctum, amoenitatem & delitias paradisi concupijsse illum videre, a Deoq. per ecstasim mentis illuc translatum, compotem factum sui desiderij: in regressu autem tria germina plantarum nobiliorum legisse, abietis, palmae, atque cupressi; quae diuersis locis plantata, in vnam se miraculo contraxerunt, & ex tribus vna coaluit, naturam & vires singularum referens; hocque arborum postea genus copiosũ in saltu Libani prouenisse, quibus vsus Salomon in construendo templo Domini, ac ex ijsdem Crucem paratã & confectam Ierosolymis, in qua Christus pateretur. Sed quis nõ videat haec fabulis esse proxima, & narrationes somniorum,

Gottefridus Viterbienses chronicorũ par. 14.

& Noë non habuisse filium, qui Hiontus diceretur, & nobiliores alias plãtas ac rariores potuisse in paradiso legere, quae non essent adeo vulgares, & toti orbi communes? Quare figmentis his reiectis, veritatẽ ex subiectis venari studeamus. Crux Christi, quantum consequi possum, & firmis rationibus, & verisimilibus argumentis deducere, non ex alia materia, quam querna fuit confecta; cum copia, color, durities, firmitas, & integritas, & alia his adiuncta, & consequentia, quae hodie in sanctissimi ligni Crucis particulis visuntur, cum quercu exactissime cõueniant. Quod & ante nos sensit Ioannes Goropius Becanus lib. 5. Gallicorum. In Iudaea profecto nullum lignũ isto cõmunius, nullum alere tellurẽ illam copiosius, diuersa sacrarum litterarum testimonia demonstrant. Quin etiam id obseruare licet, valles quasdam a quercu nomen concepisse, eo quod in huiusmodi locis quercus quondam luxuriarent; vt vallis Mambre, vbi quercus fuit Ogygis, iuxta quam Noë & Abraham in Hebrone habitarunt. Querceta item iuxta Ierusalem frequentia, & inter alia Bethel, quercum fletus nobilissimã habebat. Quid commemorem Samariae montem, Basam nomine, quercetis celeberrimum? Nunc etiam ea regio nulla planta magis abundat,

dat, quam quercu, siue ab Ioppe maritima vrbe pergas Ierosolymam, siue ad radices montis Sion prope eamdem, siue ab ipsa ad Galilaeam, siue Samariam vlterius progrediaris. Quo fit, vt quercus per omnem Iudaeam, Galilaeam, & Samariam, sicut extitit olim, ita & nunc sit copiosissima, cedrus in saltu Libani, castanea vbique frequens, pinus rara, terebynthus & sycomorus rarissimae. Ex quercu igitur verisimilius est carnifices crucem parasse, & a lignarijs vilius ceteris emisse. Ex qua enim materie communiore, & emptu viliori, crux Christi, quam ex querna parari potuisset? Nec credibile est, carnifices, cedrina, cupressinave ligna, quorum penuria & caritas Ierosolymis erat, & non nisi in ditiorum vsus veniebant, voluisse nimia fisci liberalitate comparare, praeser tim in tanta temporis angustia, quanta intercessit inter Pilati praesidis sententiam, & productionem Christi ad crucifixionem. Nisi forte artifices in promptu haberent cruces confectas, pro ijs, qui frequenter eo supplicij genere afficiebantur. Nulla igitur materia adeo praesto esse potuisset, nul la promptior, & consuetior, nulla minori vendibilis, ex qua Christi crux compingeretur. Ad crucifigendos praeterea homines, materia opus erat, quae clauos firmis-

ſimo nexu teneret. At hoc nulla arbor melius, quam quernum robur, praeſtat: eſt enim firmiſsimum, ac ſolidiſsimum ex ea lignum. In terra nihil firmius, in mari nihil perennius. Ad omnes ferme vſus adhibita, ceteras cunctas excedit. Ad pondera ferēda, eius materia aptior, ad fabricas aedium ſolidior, ad ſtructuram fundādarum nauiū excellentior; ad ignes alendos, omnium citra controuerſiam praeſtantiſsima. Tyrios, quercus de Baſam dolaſſe in

Ezechiel. 27. remos nauium, Ezechiel profitetur: & A-

Amos 2. mos Amorrhaeum, fortem, quaſi quercum vocat, quod nullum lignum robuſtius ac fortius eo agnouerit. Crucem, Plutarchus in vita Coriolani, eam currus partem definit, cui temo innititur, quam firmiſsimā robuſtiſsimamq. eſſe oportet. Qua de re colligere licet, e quercu ea fieri ſolere, quae vt firmiſsima eſſent, & tenaciſsima, vſus poſtulabat. Italis certe, Hiſpanis, Gallis, ac Germanis hactenus ad hanc currus partem robur deligitur quernum, vbi eius copia datur: non enim vbique ea materia ſuppetit: alias vecordis eſſet hominis, deterius lignū praeferre meliori. Hinc Plinius quercus robuſtae materiae lau-

Mat. 26. dem ſuper omnes tribuit. Accedit, quod

Marc. 15. crux Chriſti grauiſsima geſtatu euaſerit,

Lucae 23. oportueritque eam, quam ipſe ob ingens

pon-

pondus portare nequiuerit, a conductitio Simone Cyrenaeo, homine rustico, & viribus pollente, in destinatum Caluariae locum vehi. Consequitur ergo, grauissima illam ex materia confectam, nullaque magis, quã querna, quae nostratium arborũ ligna vincit põdere omnia. Color praeterea ligni quercini cum colore Crucis adeo consentit, vt nullũ discrimen inter vtrumque deprehendatur: contuli namque quercini ligni fragmenta cum particulis sanctissimae Crucis, quae tam in Basilica S. Crucis Romae, quam alibi locorum asseruantur, deprehendique nõ esse aut aquam aquae, aut ouum ouo similiora, quam ea inter sese sint. Sed, quod praecipuum est, nullum lignum quercino diuturnius, nullũ, quod sciatur, inter nostratia viuacius, adeo vt quercum vnam duo mille quingẽtos annos superasse compertum sit: quod & mox docebimus. Certum est, quernum robur, sub terrã defossum, in ebani tum duritiẽ, tum colorẽ trãsire, nec vllo vmquam tempore corrumpi, aut sub aquis vitiari. Hinc quercus vitae, vel liberationis a morte symbolum habetur, quod viuacissima ceterarum arborum ea sit. Hinc in Septentrionali plaga, Herciniae siluae roborum vastitas, intacta aeuis, & congenita mundo, a Plinio censetur. Vnde Graecis δρῦς, & Plin. lib. 16. cap. 2.

Latinis tam quercus & ilex; quam robur etiam dicta, tum quod genus arboris graue ac durum ſit, tum adeo quod in ingentem euadat altitudinem. Quercus illa in Mambre ab Abrahamo, vſque ad Conſtantium Imperatorem; Conſtantini Maximi filium, culta perdurauit, & in Abrahami tabernaculi loco nundinae celebri mercatu quotannis habebantur, vt B. Hieronymus refert, & Iſidorus. Quo fit, vt annos vixerit 2260. qui ab Abrahamo ad Conſtantij Imperium fluxerunt: cum antequam ab Abrahamo coleretur, Ogygis etiam, hoc eſt Noë; qui in Hebrone aliquando habitauit, poſſeſsione teneretur. Vt annoſiſſima haec quercus 2500. vitae annos exceſſerit; nullo, quod homines norint, exemplo; caneſcens vtique ſeculis innumerabilibus, multo certe vetuſtior, quam Mariana illa; quam Cicero dixit duraturam tamdiu, quamdiu Latinae loquerētur litterae. Cum autem ſanctae Crucis membra, & particulae multae per totum orbem Chriſtianum integrae & illaeſae, & citra vllam cariem & corruptionem vſque hodie perſeuerent; credendum ex querno ligno conſtare. Nullum namque lignum, citra miraculum, tot ſeculis incorruptum perduraſſet, ſummaque praeditum eſſet duritia, praeter iſtud, quod vix neſcit vllo tem-

Hierony. 9. in Gen. & lib. 3 in Zachar. cap. 11. Iſido. lib. Orig. 17. cap. 7.

Cicer. ad Attic. lib. 13.

tempore aut mori, aut deficere: cum cetera ligna teredinem & senium sentiant, tempusque illa absumat. Nulla praeterea, quercu, religiosa magis arbor, sacratiorque habetur, subter quam tot sunt celebrata a Deo ipso & angelis eius mysteria. Subter illam namque, quae in loco Mambre erat sata, foedus cum Abraham pepigit Deus Gen. 17.
vniuerso generi humano salutare, circũcisio 18. 35.
indicta, promissiones diuinae sobolis factae, Isaac ipsi & sacrae cõiugi annũciatus, Dominus peregrini habitu visus, angeli hospitio excepti: vt omnium ferme arcanorum glandifera haec quercus conscia, testis, & veluti a secretis extiterit. Subter aliam quercum in Sichem Iacob Gen. 35.
Patriarcha idola cum suis inauribus, a familiaribus suis sublata, effodit. Sub eadẽ, Iosue imperator post Mosem Israëlitarum, Iosue 24.
foedus inter Deum & populum Hebraeorum denuo innouauit, ab illa ingrata gente iamiam abolitum, & antiquatum: vt ipse esset suus Deus solus, & illi suus peculiaris populus, vt illi hic vitae suppeteret necessaria, & post mortem vitam largiretur aeternam: in cuius rei testimonium saxum ingens subter quercum recondidit. Ab eo namque tempore, quo Iacob illic simulacra terra obruerat, locus hic sacer esse coepit. Falsi namque dij & insana simulacra

hic alta ſub humo fuere depreſſa, & perpetuis tenebris condemnata: ſicut pater idolorum ſub cruce perpetuis tenebris eſt ſepultus. Atque idcirco Ioſue voluit in eadem quercu extare, foederis, quo Iudaei idola abiurarant, monumẽtum, vt rurſum recordarentur, quondam a Patriarcha Iacob, hic omnem idolomaniae apparatum defoſſum, obrutumq. fuiſſe, & ſe numquam ad idolorum cultum deſcenſuros ſolemni ritu iuraſſe. Quercus igitur ſymbolũ fuit, quo admonebãtur Hebraei ſtare Dei promiſsis, & omnem eorum vitam conſtare in abiurandis & deteſtandis idolis, diuinoque ſe cultui & obſequijs mancipandis. Et foedus, quo firmius maneret bono omine, initum fuit ſub quercu, ſub qua multis antea aetatibus promiſsionẽ acceperat generis ſui, in ſemine benedicto, omniũq. gentium conſecrationem. Quercus igitur veteris legis ſignum fuit, & ſymbolũ crucis Chriſti, Ambroſio & Auguſtino atteſtantibus, tam quae fuit in Mambre, quã quae in Sichem, ab Abraham, Iacob, & Ioſue celebrata; tum etiam ſub qua Angelus Gedeoni apparuit; & illa itidem ad radices Bethel, ſub qua Debora nutrix Rebeccae fuit ſepulta; quam Synagogam adumbraſſe, ſub cruce Chriſti ſepeliendam, ijdem fatentur. Super quercum etiam crux primo Arago-

Gen. 12.

Ambroſ. prologo de Spiritu ſancto.
Auguſt. in Iudic. q. 30.
Iudic. 6.
Gen. 35.

num Regi apparuit, vt ante diximus. Nec conturbet quemquam, quod ſubter terebynthum Iacob legatur idola defodiſſe: pro quercu enim terebynthus ſcribitur: cum tamen ex ſcriptura ſacra cõſtet, eamdem prorſum hanc cum Sichemica fuiſſe, ſub qua Ioſue foedus percuſsit, & Iacob idola defodit; & vbiq. Elah, id eſt quercus, in Hebraicô exẽplari habeatur. Sed haec, quae hucuſque in mediũ produximus, coniecturarum fines non excedunt: habemus autẽ firmiorem propheticum ſermonem, Eſaiae inquam vaticinium, quod litem hãc dirimat, mirabile illud quidẽ, & quod noſtram ſententiã clariſsime exprimat, quercum fuiſſe lignum, in quo Chriſtus pependit: de populis Hebraeorum & gentium in haec verba loquens: Longe faciet Dominus homines: & multiplicabitur, quae derelicta fuerat in medio terrae, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur; & erit in oſtenſionem, ſicut terebynthus & quercus, quae expandit ramos ſuos. ſemen ſanctum erit, quod ſteterit in ea. Praedicit namque hic Eſaias, partem populi Iudaici indurandam, partemque diuino lumine illuſtrandam; vaſtandos Iudaeos a Romanis, atque decimandos, reliquias tamen eorum ſeruandas per crucem quernam, ſemen benedictum, & totius humani generis ſalutem. Eſaiae 6.

Certe

Certe eſt locus inſignis, & animaduerſione digniſsimus, ad ligni Crucis certam materiam aſtruendam. Et iam non coniecturis & argumentis, ſed veritate & certitudine rem ita eſſe definiri forte poſſet, & illud Virgilianum poſſemus canere, veluti vaticiniũ quoddam a poëta myſterium ignorante praedictum.

Virg. Ecloga 4. *Et durae quercus ſudabunt roſcida mella.*

Solet enim nectareus & caeleſtis ille ros in quercum praecipue & robur influere, ſicut Chriſti diuinus ſanguis in crucem.

Quod ſi diuerſitas materiae admitteretur in Cruce, erecta trabs citra dubiũ quernea ſtatuenda eſſet, trãſuerſaria ex alio ligno aſsignãda; ita vt ſolida Crux duobus tantum contineretur generibus. Nam index, ſeu titulus, a Pilato adfixus, Crucis pars neutiquam fuit, & alia ex materia cõfectus dignoſcitur, quae cariem & vetuſtatem ſenſit: quamquam non citra miraculum ad noſtram vſque aetatem ſeruatum cenſuerim, cũ materies pinea videatur. Si aliqua tamen materies cum querna ſocietatem deberet inire, oliuae ea eſſet, cum qua quercus odium gerit adeo implacabile, vt iuxta ſe ſatam extinguat. At quercus, quod aſperis, ſpinoſis, ſeu aculeatis frondibus ſit, ſeueritatis, duritatis, & acerbitatis inſigne habetur, ſicut e contrario olea, pa-

cis,

cis, manſuetudinis, ac lenitatis indicium. *Quare recte excogitari poſſet, quernos ramos, frondes, & fructus, cū oleaginis complicare: cum iracundia, ſummaque ſeueritas, ſumma cum humanitate & clementia coniunctae ſignificantur: & aſperitas ad lenitatem benignitatemque inflexerit, & a priſca illa rigiditate fuerit alicubi tēperatum. Diſcors igitur vtriuſque ſymbolum, in concors aliquod, foedere inito, poſſet iſto modo copulari. Sicut enim corona ciuica ex quercu nulli magis quadrat, quam Chriſto, qui non vnum & alterum, ſed cunctos Romanos ciues, immo totius orbis gentes, ab interitu ſua nece in ligno querno ſeruauit; ita nec ſertum ex quernis, & oleaginis frondibus & fructibus concinnatum, appoſitius quemquam decet, ac Chriſtum, qui ſeueritatem veterum temporum ſanguine fuſo noua gratia mitigauit; & quae procul aberant, prope conſtituit: inimicitias aeterni Patris cum hominibus, populi Hebraeorum cum Gentili componens; totque modis diſcordes, in vnum foedus contraxit: duritatemque acerbam multis humanitatis condimentis mitigauit, & ad hilariorem ſtatum conditionemque traduxit. Sicut igitur Chriſtum ſalutis noſtrae auctorem ſpinea corona in cruce ornauit, ita reſurgentem, & in caelos con-

ſcenden-

* Pierius Val. l. 53. Tit. Duritia emollita fol. 560. et lib. 51. Tit. Ira delinita fol. 545. Plin. l. 24. c. 1. Theophrast. l. 3. c. 8. et 9. Sixt. Planc

ſcendentem, tam ciuica, quam quernum & oliuaceum permiſtim ſertum, eius diuina tempora debuiſſent cingere, redimere, & exornare. Vt quercus videatur iam continuiſſe ſpinas, oliua in copioſius & vberius miſericordiae oleum ſe totam effundere, quercuſque amicitiam non vt olim detrectare. Haec diffuſius aliquanto tractui, quia non potui me Crucis cōtinere materia, quae velut impetu quodam in ſui affectum pertraxit.

De menſura Crucis Chriſti. *Cap. XXXI.*

Brocard. Chriſtianus Adrichom. Antiquae traditiones.

EX antiquis traditionibus & monumentis conſtat, & a tempore Helenae Auguſtae, quae crucem inuenit, obſeruatū, Crucis erectam trabem quindecim pedum fuiſſe, tranſuerſarium autem lignum octo pedes patuiſſe; cruceſque latronum eiuſdē prorſus fuiſſe magnitudinis, materiae, formae, & figurae. Quod fuit in cauſſa, vt Helena inuentas omnes tres, citra miraculum diſtinguere nequiuiſſet, quae Chriſti, quae latronum exiſterent.

Quantum temporis Crux Chriſti delituerit. Cap. XXXII.

ANNO natiuitatis Chriſti XXXIII. nondum expleto, ſed per tres menſes

&

& dies decem tantum inchoato, quartadecima Luna, quae incidit in feriam sextam, III. Aprilis, Christo de Cruce deposito, interim dum corpus aromatibus cōdiretur, & linteaminibus ritu Iudaico tegeretur, sepulturae tradēdum, carnifices in vallem monti Golgotheo subiectā cruces praecipitant Christi & latronū cum illo concrucifixorum, terra tantisper obruunt; ne ligna cruore madentia, & supplicij damnatorum memoria horrorem incuterent, & festiuitatē Paschalem simili spectaculo violarent. Super quae egestis ac exoneratis ciuitatis sordibus, vallis tādem tota fuit oppleta: atque hac ratione triumphale illud Crucis lignū, sub magno sordium aceruo, CCXCVI. annos alte sepultum iacuit, ac mensem vnum. XX. namque Constantini imperij anno, Helena Augusta, pij Imperatoris pia mater, in somnis oraculo admonita, reque cum filio communicata, Ierosolymam petijt, ad illa sancta loca inuisenda, quae Christi fuerant praesentia consecrata, & preces efundendas pro filij & nepotum incolumitate, ac Imperii felicitate, quod administrabāt; & ad inuestigandā Christi crucē & sepulcrū, quae terrae defossa latitabant. Non longi itineris fastidiū & labor, non senectutis molestia, ab ea profectione suscipienda illam auocarunt.

Eusebius in vita Cōstantini lib. 3. cap. 42. 43. 44. 45.

S. Hierony. tom. 1. epist. 13. ad Paulinū. & tom. 3. in loc. Act. Aposto. littera H.

Ambros. tom. 3. in oratione funebri Theodosij Imp.

Ruffinus in Euseb. hist. Eccl. lib. 10. c. 7. & 8.

Socr. lib. 1. hist. Eccl. cap. 13.

Cedrenus in Annal. pag. 234. 243. Theodor. lib. 1. cap. 18.

carunt: erat enim tunc prope octuagenaria. Sed veluti adoleſcentula,& virili robore praedita & animo,iter illud adorta,feliciter confecit. Erat tunc annus Chriſti nati CCCXXIX. & ſequenti Conſtantinopolim ad filium eſt reuerſa,qui fuit XXI. Imperij eius & Chriſti CCCXXX. Olim quidem viri,impij & ſcelerati, & iſtorum ſubſidio & miniſterio vniuerſum daemonum genus omni ſtudio incubuit,vt illa diuinae immortalitatis monumenta, Crux, & ſepulcrum, tenebris,& obliuione,& caedibus hominum abolerentur; terra extrinſecus etiam aduecta, quo altius obruerentur. Diuino tamen conſilio & prouidentia factum, vt Crucis & Dominici ſepulcri theſauri, tempore, quo in Chriſtianos & Crucem Iudaei & Gẽtiles adeo ſaeuiebãt, reconditi & occulti fuiſſent, ne ab ipſis furentibus ſepulcrum dirueretur, & Crux aut imminueretur, aut exureretur, quod in ipſa ſuperſtite paſſio Chriſti coleretur a fidelibus. Cum autem pax fuit reddita Eccleſiae, theſauri detecti, ſanctum ſepulcrũ patuit, Crux denuo emicuit; & quae diutius delituerant, rurſum ſub aſpectũ mortalium venerunt. In crucifixionis namque loco Veneris ſtatuam ac fanum dedicarant; ſicut in ſepulcri, Iouis; & in Bethleem ad praeſepe Saluatoris, ſimulacrum, delu-

Sozomenus hiſto. Eccle. lib. 2. cap. 1. & 25.

Niceph. lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 28. 29 30. & 50.

Petrus de Natalibus in Catal. ſanctorũ. lib. 4. cap. 117.

delubrum, & lucum Adonidis, impudici Veneris amasij, collocarant, vt fideles Christum ijs locis adoraturi, ea potius simulacra colere & adorare viderentur. Ceterum non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui passionis suae trophaea in manibus perfidorum seruauit illaesa, quae Christiani ob diuersas persequutiones aegre custodire possent, tanto maiori gloria & honore a pijs exaltanda, quanto maiori ignominia ab inimicis & impijs hominibus fuerant olim affecta: & vbi detestabiles victimas, super impuras aras, & omni nequitiae labe pollutas, immolauerant, ibi Constantinus verum Dei cultum restitueret, Deo adiutore inuocato, vrgente eam religionis operam Helena Augusta, sancta femina, sancti Imperatoris procreatrice, & institutrice, Qui communi consensu, diuino spiritu afflati, illam terrae portionem, hostium scelere contaminatam, perpurgari in primis iusserunt; & aedificia falso cultui consecrata, vna cum statuis & daemonibus, disturbari, dirui, & ad solũ prosterni praeceperunt. "Et materia eorum quae erant deiecta, siue lapidea illa esset, siue lignea, & terra ipsa ad ingentem altitudinem defossa, vt impura daemonum contagione infecta, extra loci fines, quam longissime expor-

Brocard. itin. 6.

Salniacus tom. 7. cap. 3. 4. 5. 6. 7. & tom. 8. c. 3.

por-

portari voluerunt. Sordibus igitur ſolo egeſtis, praeclariſsima illa Crux, cum alijs duabus latronum, & titulo Crucis Hebraice, Graece, & Latine a Pilato praeſide ſcripto, III. die Maij, anno Chriſti labente CCCXXIX. a tempore Crucis ſepultae CCXCVI. comparuere, maximo cum gaudio Helenae Auguſtae, & fidelium, qui tunc magno numero conuenerant. Ambiguam tamen & anxiam mentem reddidit Helenae, crucium paritas, & vniformitas, qua argumento humano vera crux Chriſti ab illegitimis latronum diſtingui nequibat. Sed diuino numine inſpirata Regina, Macario Ieroſolymorum Epiſcopo etiam ſuggerente, rem omnem diuino conſilio & prouidentiae committunt: & miraculo res indicata. Effuſis namque ad Deũ precibus, feminae indigenae, honeſto loco natae, iã moribundae, omnique ope & ſpe vitae deſtitutae, cruces latronum adhibentur, quae nihil profecerunt; vt autẽ vera crux Chriſti admota; continuo a portis mortis reuocata, incolumis ſurrexit. Idem praeſtitit ſacroſanctum illud lignum, ſuper mortuo impoſitum, qui mox eius contactu reuixit, vt teſtãtur S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, aetate Auguſtini florens, Sulpitius Seuerus, & Sozomenus, & Nicephorus, & Paulus Diaconus. Compos igitur voti facta

Sozomenus hiſto. Eccl. lib. 2. cap. 1. S. Paulin⁹ epiſto. 11. ad Seuerũ Sulpitiũ. Paulus Diaconus lib. 11.

Bea-

B.Helena, maximã partem Crucis,argẽtea theca inclusam, Macario asseruandam cõ credidit, opportuno loco & tẽpore, vt decebat,collocãdã,in memoriam posterorũ ĩ templo illo, omnium quae erãt in orbe,augustissimo & celeberrimo,LXXIII.marmoreis columnis ingentibus suffulto,marmoribus varicoloribus, aureis & argenteis ornamentis decorato, a Constantino filio denuo magnis sumptibus,& regia liberalitate constructo, ad excipiendum & continendum sanctum sepulcrum Christi, & locũ crucifixionis eius in mõte Golgothaeo, quod Ierosolymam nouã nuncupauit. Partem alterã Crucis eadẽ Helena Augusta ad filium Cõstantinopolim misit, simul & coronam spineam, & clauos intra sepulcrum Christi repertos. Portionem etiam aliam cum titulo ipsius Crucis, Romam ad basilicam S. Crucis a filio in atrio seu palatio Sessoriano conditam, cum aliquot spinis coronae Domini, & plerisque alijs instrumentis passionis eius,transportandam curauit. & quae prius S. Crucis, deinceps ad imitationem magni templi Caluariae, in Ierusalẽ appellari coepta est. Multas praeterea naues, terra onustas,ex agro Aceldema,siue sanguinis, illuc trãsmisit:quam ad coemiterium, quod hodie ideo Campum sanctum vocant, e regione basilicae Vati-

Niceph. hist. lib.8. cap.29. Sulpitius Seuerus hist. lib.2.

canae exonerarunt: & multo plures, quae vndique ex locis ſanctioribus collectam terram tranſueherēt,& per baſilicas alias, templa, & coemiteria celebriora Vrbis,ij quibus cura data fuit,ex praeſcripto ipſius Auguſtae diſtribuerent. Ita Roma ſanctitatis cognomen meruit, vt alma Vrbs diceretur, non ſolum quia ſedes eſt vicarij Chriſti, materq. & caput ac magiſtra omnium Eccleſiarum, & ſanguine tot martyrum intincta, corporibusque tot ſanctorum veluti gemmis pretioſiſsimis ornata, ſed quod terra ſancta, ex ſacratioribus locis congregata,ſit in eam comportata, quā Chriſtus Deus,& B.virgo eius mater,Apoſtoli & diſcipuli,ſua praeſentia illuſtrarūt, & pedibus calcauerunt, ſed de his hucuſque ſatis.

Quid tandem actum eſt de praecipuis partibus ligni S.Crucis. Cap. XXXIII.

MAGNA illa pars Crucis,quae Conſtantino Maximo Imp.obtigit, dono ſuae pijſsimae matris,ſummo cum gaudio ab ipſo excepta. Fide autem, qua erat praeditus amantiſsimus Dei Imperator, concepit, & ſecum ipſe reputauit, ciuitatem quae pretioſo illo ligno frueretur, & in ſuo theſauro ſacro cōtineret,ſaluā & felicem ſemper futurā:eā igitur ſtatuae ſuae incluſit, & ſuper columna collocauit porphy-

Niceph. lib.7. hiſt. cap.49.

phyretica, quam ipse magnis sumptibus erexerat, in eo, quod dicitur Constantini, foro: vt ita ab iniurijs imbrium libera, & a sectione & partitione esset immunis, & integra & intacta isto modo seruaretur. Aduecta autem fuerat ea columna porphyretica Roma Constantinopolim, valde maxima; & statua ipsius aerea supraposita, elegantissima erat; quae dextra manu globum aureum continebat, cui veneranda crux erat infixa, cum hac inscriptione subiecta: Tibi Christe, Deus, vrbem, hanc commendo. Sub basi duodecim cophinos, & septem sportas, nec non reliquias septem panum, quibus Christus benedictione sua consecratis, multitudinem hominum pauit; praeterea dolabram Noë, qua ille arcam diluuio imminente construxit, Imperator manibus ipse suis, sigillo suo obsignata, reposuit. Statua item eiusdem aerea extabat Constantinopoli, quae orbem dextra teneret, cum crucis simulacro infixo, quod symbolum erat, orbem maris & terrae per crucis virtutem deuictum & subiectum fore. Quod & succedentes postea Imperatores & Reges, pro signo Imperij, beneficio Crucis parti, perpetuo vsurparunt. Hanc statuam, vetustate imminutam & deformatam, Emanuel Palaeologus instaurauit. Ceterum portio

Niceph. in dedicatione operis historici.

illa Crucis, quam Helena Augusta ad basilicam S.Crucis Romam misit, secta in multas partes, vt ecclesijs intra & extra Vrbem & Episcopis & principibus viris particulae donarentur: tres nũc solum portiones eius supersunt, quae trium digitorũ humanae manus vix aequãt magnitudinem, in sacratiore illius tẽpli parte reconditae cũ aliquot spinis coronae Christi, & clauo vno crucifixionis, & cum dimidiato titulo Crucis Hebraice, Graece, & Latine, iubente Pilato, conscripto: nam altera medietas sub altari recondita fuit, quae in sacello S. Helenae nunc religiosius extare creditur.

Maxima & praecipua portio Crucis, quae Macario Ierosolymorum Episcopo ab Helena Augusta, theca argentea clausa, consignata fuit, vt sacratiori templi nouae Ierusalem loco, simulatque dedicatum & consecratum fuisset, reponeretur: inuitatis Constantinus Imperator cunctis Patribus qui ad Synodum Tyro conuenerant, vt quamprimum Ierosolymam pergerent, & templum illud a se denuo constructum, super Golgothaeum montem & sepulcrum Christi, solemni ritu consecrarent: sicut & fecerunt die XIIII. Septembris, collocata solemniter Cruce in sanctiore eius basilicae loco, & constituto vt dies ille esset anniuersarius & perpetua

reli-

religione recolendus, in memoriam exaltationis Crucis, quae de ſordido ad glorioſum fuerat locum tranſlata. Hic dies deinceps celebris, & peculiari cultu religioſe ſeruatus ab Eccleſia Graecorum: populoq. crux oſtendebatur ſtatis anni diebus, ab Epiſcopo, praeſertim Paſchatis & exaltationis feſtiuitate, & octiduo ſequenti, confluente ad hoc tam pium & religioſum ſpectaculum infinita hominũ vtriuſque ſexus & cõditionis multitudine, adoratura illud Chriſti victoriae ſignum cultu latriae, qui debetur ſoli Deo, & rebus quae ſuo pretioſo ſanguine cruentae aliquando fuere. Teſtatur autem Paulinus Nolanus Epiſcopus ſtupendum plane ac perenne miraculum de ligno ſanctae Crucis toti orbi notiſsimum. Nam cum vndique, ex remotiſsimis etiam regionibus, Ieroſolymam religionis ergo Chriſtiani confluere conſueuiſſent, acciperentque de ligno ſanctae Crucis particulam; illud, diuina quadam virtute operante, nullam ſentiebat ex diminutione & diuiſione iacturam. S. Cyrillus etiam affirmat, totum terrarum orbem ligno ſanctae Crucis, Ieroſolymis accepto, eſſe locupletatum. Quo profecto fieret, vt ſi oẽs particulae, quae ex hoc ligno ſanctae Crucis aliquãdo exciſae & decerptae fuerunt, in vnum coaleſcerent, maio-

S. Paulin. epiſto. 11. ad Seuerũ Sulpitiũ.

S. Cyrillus Catecheſi 10.

rē multo crucem, quam olim, essent forma turae; operante & augente diuina clementia pretiosum illud lignū, in fidelium multorum solatium, & vt votis piorum & affectui illorum sancto posset respōderi, & hoc miraculo satisfieri. Perstitit sanctissimum Crucis lignum Ierosolymis in templo nouae Ierusalem a Constantino fundato, loco quo prius fuit repositum, annos CCXL. qui fuit Heraclij V. iuxta supputationem Cedreni. Eo namque Persae, Iordane occupato, Palaestinam & vrbem sanctam vi expugnarunt, & in ciuitate Ierosolymorum per Iudaeos interfecerunt ad XC. (vt fertur) hominum millia. Iudaei namque, pro facultatibus suis quisque, Christianos a Persis emptos necauerunt. Zacharias tunc Patriarcha Ierosolymitanus, & veneranda Crucis ligna, cum ingenti praeda, ac captiuorum numero, in Persidem sunt abducta, anno Christi 613. sub Pontificatum Bonifacij Papae IV. Cum autem Heraclius a Chosroë Persarum Rege saepe pacem sub honestis conditionibus impetrare tentasset, saepe repulsam a barbaro passus, multisque fraudibus circumuentus; diuino potius subsidio & ope confisus, quam viribus & potentia humana, quibus sciebat Chosroë longe inferiorem esse, stipendiarias & auxiliares copias cōtrahit, & iustum exercitum

citum ſtrenuo milite conſcribit, ac profectionem in Perſas ſuſcepit. Sexennio integro id bellum dilatum, in quo Heraclius ſaepe proelio commiſſo victor ſemper euaſit, caeſis & fugatis hoſtibus, ſtrenui & praeſtantiſsimi ducis obiẽs munus. Siroës autem Choſroës filius natu maximus, quod ſe praeterito, Merdaſam iuniorẽ, regni ſucceſſorem pater declaraſſet, exitiũ parentis coepit moliri, in carceremq. eũ conijcit & vincula, fame enecat, Satrapae quoque acciti in faciem Choſroës oẽs conſpuerunt, ſagittis demum trãsfigendum dedit, Merdaſam & filios eius corã occidit reliquos, & Perſarum omniũ conſenſu Rex acclamatus. Pacem dein cum Heraclio perpetuam componit, anno eius Imperij XVIII. & XIX. ſequenti Conſtantinopoli Ieroſolymam profectus, aduehens ſecum, venerabilia ac viuifica Crucis ligna, quae a Siroẽ pacis cõditione redemerat, ab exilio & captiuitate XIII. annorum vindicata, ſuo loco votis Deo perſolutis reſtituit, cũ Patriarcha eius ſedis Zacharia. Omnes porro Habraeos ea vrbe exegit, edicto cauẽs, ne ijs intra tertium milliare accedere liceret. Poſt longam autem peregrinationem, & moram inter hoſtes, poſtliminio ad proprias ſedes reuerſa Crux fuit, anno Dom. DCXXVII. ſub initium veris, & Pontifi-

Cedrenus in Annal. pag. 334. & 345.

catus Honorij primi Papae anno VI. cum Heraclius exorsus Imperium fuerit anno DCIX.. Graeci namque 14. Septembris ante Heraclij tempora exaltationẽ S.Crucis celebrabāt, quae illum in diem incidit. Nam illa Heracliana sub initium veris(vt diximus) facta est. Et a Latinis Constantiniana celebrari etiam solita ipsomet die; tanta deinde ab Heraclio parta victoria, auctior deinde reddita, ex eiusque rei memoria illustrior habita; & gemina exaltatio eodem tempore,quo & prior,culta.Sed nouem post annis, Christi DCXXXVI. ab Agarenis in Aegypto regnantibus Ierosolyma capta, in aliud exilium longius crux Dominica concessit, annis CCCCLXIII. quibus ea vrbs a barbaris possessa est. Heraclius namque,audita Agarenorum licẽtia,capta praesertim Antiochia,veritus ne Ierosolymam occuparent,crucem Domini Constantinopolim deferendam curauit,ne iterum in infidelium manus deueniret, vt Platina refert in vita Seuerini Papae.Deinde anno Christi MXCIX. idibus Iulij,feria sexta, hora nona, eadem.f.die 6. & hora, qua Christus in cruce mortuus est, a Christianis,duce Godefredo Bullionio, expugnata est:Crux reducta, & LXXXVIII. annis vrbs retenta fuit. Dissidentibus autem postea inter se Christianorum principibus,

Theophanes ĩ hist. Miscella.

Vuilelm⁹ Tyri Archiepiscopus hist. belli sac. lib. 8. c. 5. 18. 19. 20. 21. & lib. 9. cap. 1. 2. 9.

Barth. Saligniacus in epistol. ad Ioan. a Lothoringia Card. Mat. Palmerius in Chronicis.

cipibus, a Saladino Aegypti Sultano capta, & sanctisimae Crucis lignũ iterum ereptum fuit. Quod postea a Sultano Aegypti, anno Domini MCXC. cum Damiata Aegypti vrbs a Christianis expugnata, quae olim Heliopolis dicebatur, ipsi restitueretur, pariter & Richardo primo Anglorum Regi lignũ Crucis restitutum est.

Polud. Virg. lib. 14. histor. Angliae.

Anno autem MDXVII. sub Heracho Patriarcha, a Selimo Turcarum Imperatore Ierosolyma expugnata, & in hunc vsque annum MDXCI. Turcarum imperio paret. Sed ad alia transeamus.

De nonnullis alijs insignioribus portionibus ligni sanctae Crucis, quae aliubi extant. Cap. XXXIIII.

MAIOR, quam alibi, portio nunc Crucis reperta, ea est, quam S. Thuribius Palentinus, Episcopus Asturicensis, S. Leoni I. Papae in primis carus, veterique necessitudine cõiunctissimus, Priscillianistarum acerrimus persequutor, in Hispaniam inuexit anno circiter CCCCL. cum plerisque alijs insignibus sanctorum reliquijs, vel ab ipso Leone Papa ob mutuam beneuolentiam donatis, vel ex Ierosolyma, vt alij tradunt, vbi rebus sacris templi Ierosolymitani praefuit, abductis. Veritus nam-

namque a barbaris eam vrbem diripiendam fore, & sacrum lignum Crucis in infidelium manus aliquando peruenturum, bonam ipsius partem, ab Ierosolyma abscedens, & patrium in solum remeans, secũ detulit, regnante tunc in Hispania Thurismundo ex Gothico sanguine principe. Qui cõstructo ad Astures coenobio insigni sub memoria S. Martini, ibidẽ Crucis partem collocauit: quod S. Thuribij postea ab eius nomine appellatum, a monachis Benedictinis nunc habitatur, in Episcopatu Legionensi, Lieuana regione, duobus milliaribus distans a Pontes oppido finitimo, corrupte Potes vocato; nunc vero S. Thuribij de Lieuana appellationẽ vulgarius retinet. Lignum autem S. Crucis quinque palmos longum, quattuor digitos latum, sesquidigitum crassum, ex transuerso brachio altero sectum fuit, foramen retinens, quo clauus penetrauit, manui Christi suffixus. Quidam Abbas, satis imprudenter, vt in formam crucis redigeret, medium secuit, quasi ipsum lignum non eadem adoratione qua crux, imo qua ipse Deus, esset adorandum & colendum. Clauus Christi, qui in basilicae S. Crucis in Ierusalem sacratiori loco asseruatur, exacte respondet foramini illius ligni S. Crucis; quod nõ pauci, mensura vtriusque accepta, comprobarũt

Argen-

Argentea theca illa crux recõdita, cryſtallinis ſpeculis per ſpatia interiectis, vt rectius conſpici poſsit; quando ſtatis anni diebus maxima celebritate populo oſtenditur. Ad huius ſacri ligni conſpectum & contactum multa miracula quotidie fiunt; & multi daemones ex corporibus, quae obſident, expelluntur: qui, crucis ſolo aſpectu, vehementer torti, e brachio ſiniſtro crucis Chriſti, illud lignum fuiſſe ſectũ aſserũt:ſed vtrius ſit,dextri, an ſiniſtri, parum obeſſe poteſt illius vel mendacium, vel veritas. In ſacello iſtius templi S. Thuribius ſepultus, & ad latera eius monumẽti duae arcae venerandae antiquitatis pẽdent, ferreis catenis fultae & vinctae,reliquijs inſignisſimis Sãctorũ plenae. Foramẽ autem illud Crucis patens relictum, per quod tranſmittuntur ligna, quibus cruciculae conficiuntur, & alia pleraque, quae religionis ergo collo appenſa geſtantur.

Sergius Papa, dum baſilicam S. Petri renouaret, inuenit, Domino reuelante, in ſacrario B. Petri Apoſtoli, capſam argenteam, quae in angulo obſcuriſsimo diutiſſime iacuerat, & in ea crucem diuerſis ac pretioſis lapidibus adornatam, & portionem Dominicae crucis interius repoſitam deprehendit: quam ad oratorium S. Laurentij, Sancta ſanctorum appellatum, in baſili- Beda in li. de tẽporũ ratione.

basilica Lateranensi, transferendam curauit. quae die exaltationis S. Crucis populo ostendebatur, & adorabatur. Hanc ligni sanctissimi portionem, in direptione Vrbis sub Clemente VII. a militibus quibusdam, thecae argenteae cupidine illectis, praeda ablatã, Pontifex prodigiose, & non citra peculiarem opem diuinam, recuperauit: & aurea, crystallinaque cruce inclusam, in palatio Vaticano, vbi est sacristia Pontificia, seruari deinceps iussit, sicut & hodie fit.

Anastasius Bibliothecarius. Et Platina in vita Sergij Papae.

In basilica praeterea B. Petri Apostolorũ principis Vaticana, crux extat, donata a Constantino Imp. S. Siluestro Papae, in qua intus inclusa est alia parua crux aurea cũ portione ligni sãctissimae Dominicae crucis. Sũt & multae aliae particulae eiusdem ligni distributae per alias basilicas, templa & oratoria vrbis Romae, & per alias ecclesias, Episcopos, principes, ac priuatas psõnas orbis Christiani, vt numerari nequeãt: sed de hmõi minutis particulis nunc nobis haud sermo est, sed de insignioribus portionibus ligni Crucis narrationẽ teximus.

Tempore Angeli Participatij, noni Ducis Venetorum, qui coepit eam rempublicam gubernare anno D. 809. Leo Imp. eidem dono misit S. Zachariae corpus, & Dominicae crucis lignum: isque S. Zacha-

Petrus Iustinianus lib. 1. rerum Venetorum.

riae

riae ideo aedem construxit Venetijs, vbi corpus Zachariae, & lignum Crucis reposuit: angustam quidem tunc & exiguam, nunc autem amplam & spatiosam.

Ethelstanus, Anglorum Rex, ab Othone Magno, primo Imperatore huius nominis, anno Christi 963. ensem Constantini Magni, cuius in capulo clauus Christi haerebat, lanceam, qua latus eius transfossum, partem S. Crucis, & spineae coronae, impetrauit: quorum partes aliquot idem Rex Malmesburiensibus donauit, vt auctores sunt Ranulphus & Genebrardus.

Ranulph. lib. 6. c. 6. Genebrardus Chronolog. lib. 4.

Anno itē D. circiter MLXXXV. Alexius Comnenus Imp. Constantinopolitanus, fama commotus Alfonsi Regis in Hispania VI. qui Toletum expugnauit, & ab hostibus Christiani nominis Agarenis regiam illam vrbem captam imperio suo adiecerat, crucem magnam ex ligno sanctae Crucis cōfectam, munere ei donauit: quam ille Benedictinis monachis coenobij a Sahagum pro magno fuit thesauro largitus. Quae non solum daemones ab obsessis expellit, & pleraque miracula ad eius conspectum altissimus operatur: verum per eamdem fines illius oppidi tuetur, & protegit a locusta, brucho, grandine, vredine, & gelu segetes, & vineas incolarum; & tempestates,

pestates, subito in publicũ producta auertit. Quare multũ frequentatur eius cultus a fedelibus, & sũma religione obseruatur.

Gaguinus lib.7. in vita S. Ludouici. Genebrardus Chronol. lib.4.

Anno D. MCCXLIII. Balduinus Imperator Dominicae crucis partem cũ spongia, & lanceae ferro, Venetis pignori obligauit; quae postea S. Ludouicus Francorũ Rex IX. potestate redimendi accepta, regio sacello Lutetiae condidit, institutis ibi sacrorum ministris. Nec repugnat, lanceã, qua Christi latus apertum, in potestatem Athelstani Anglorum Regis venisse, deinde ad Venetos & S. Ludouicum, & Henricum II. Imperatorem a Rudolpho Burgundionum Duce magnis pollicitationibus eamdem impetrasse, atque id munus non tantum auro & argento copioso, sed & magna Sueuorum prouinciae parte compensasse, vt Luithprandus testatnr. Neque obest, Antiochiae eamdem in templo S. Andreae olim repertam, quo minus potuerit Baiasetes Turcarũ Imperator idem lanceae ferrum Innocentio VIII. Romam transmittere anno Dom. 1492. quo item titulus S. Crucis repertus. Nam cunctarum rerum cõtinua mutatio, succesio, & permutatio est; & quod in manu alicuius aliquando fuit, ad alios mox transit, & rursus hos & illos succesores habet.

Luithprãdus ca. 4. c. 12. Genebrardus Chronol. lib.4.

Anno D. MCCCCXCVII. Helena Da-

uidis

uidis auia, quae ob tenellam ipsius Dauidis aetatem administrationem Abyssinorum & Aethiopiae habebat, quẽdam Matthaeum Armenium, virum multarum rerum, atque linguarum peritum, ad Emanuelem Lusitaniae Regem legatum misit, communis amicitiae & foederis ineundi gratia. Is orator detulit ad Emanuelem crucem insignem, ex ligno, quo Christus Ierosolymis pependit, concinnatam. Fuerat enim Abyssinorum Regi magnum frustũ ligni Crucis ex Ierosolyma aduectum: quo dissecto, duas cruces formauerat, alteram apud se retinuit, alteram dono Emanueli Regi per hunc Matthaeum oratorem suum misit. Haec de insignioribus portionibus ligni sanctae Dominicae crucis, quae ad notitiam meã peruenere. Toleti namque, Hispali, & Oueti, sunt etiam magnae cruces ex hoc eodem pretioso ligno confectae, sed longum esset omnia persequi: haec, quae diximus, attigisse sufficiat.

Damianus Goës de morib. Aethiop.

De admirandis quibusdam signis Crucis. Cap. XXXV.

IN Indiae oris Narsinguae regnum constitutum, in quo vrbs Malipur appellata corpus habuit S. Apostoli Thomae, vbi & martyrium subijt, multis miraculis clarens.

Translatũ S. Apostoli Thomae corpus ex Malipur Cocinũ.

deinde Goã tēpore Io.III. Lusitaniæ Regis. Hierony. Osorius ĩ fin. lib. 3. hist. Reg. Manuel.

rens. A Rege, qui tunc illi prouinciae praeerat, portio terrae illi donata, vbi tēplum construeret. Haec nunc Malipur vrbs, ob memoriam eiusdem Apostoli, S. Thomae ciuitas a Lusitanis nūcupatur. Erat in colle sacellum aedificatum, ea propter quod assererent incolae in eo loco Thomam fuisse a religionis hostibus interfectum: vbi Lusitani magnificentius illi templum extruere coeperunt. Erat autem hoc solemniter institutum, vt in eo sacello octo diebus ante natalem Christi res diuina fieret, & omnes Christiani eo conuenirent: tribus inquam ante Apostoli natalem diebus, cum ab Ecclesia celebratur expectatio virginei partus. Fuerat quoque ante XIV. annos in illo suburbano colle, vbi nouo Apostolo sacello extruendo fundamenta aperiebantur, crux inuenta in lapide quadrato incisa, in cuius fastigio columbae imago insidebat. Tam basis, quam vertex, & brachia crucis, in liliorum formam desinebant: laetae ab imo herbae luxuriabant. Arcus quidam ex eodem lapide factus crucem cingebat. In arcu erant incisae litterae, quas nemo legere poterat. Totum hoc integrum opus, quod erat satis magnum, fuit super altare eiusdem sacelli, multorum labore collocatum: intentiore cura proinde fabricam noui sacelli absoluunt. Noua inde

Maffeius lib. 12. histor. Indicarum & lib. 2. & 8.

de loco frequentia, nouus honos accesſit. Sed miraculo mox euidenti mirum in modum aucta religio. Nam cum die natali S. Apoſtoli Thomae Chriſtiani de more intra eam aediculam rei diuinae cauſſa conuenirent, & ſacerdos Euangelium inchoaret; mirum dictu, cuncto ſpectante populo, crux in nigrum colorem verſa, & liquor ex illa incredibili copia dimanauit: deinde niger in caeruleum colorem permutatus. In loco autem, vbi notae ſanguinis ſeu guttae extabāt, roſei coloris ſplendor illuxit. Sequentibus poſtea annis, idem natalibus Apoſtoli ſolum eueniebat, nō vllo alio die. Fuit tamen aliquo tempore eius miraculi intermiſsio. Anno autem Dom. MDLXI. cum Chriſtiani in eumdem ſacrum locum, cum eadem pompa & celebritate, diuina audituri cōuenirent, eodem die, quo crux, dum ſacrificium fieret, ſtillare ſolebat, & ſacerdos Euangelium inchoaret (id enim etiam admirandum videbatur, quod numquam prius, quam Euangelium legi coepiſſet, ea crucis mutatio fieret) crux repente nigris maculis, ſplendidis tamen, incipiebat, donec tandem alijs atque alijs ſubeuntibus tota nigreſceret. Ita vero ſplendebat, atque ſi oleo fuiſſet delibuta. Tum, inſtar roris, guttae defluere coeperūt, quae paulatim grandiores effectae, totam cru-

cem humore largiſsimo compleuerunt. Peregit ſacerdos cum multis lacrymis & crebris ſiugultibus ſacrificium. Deinde aſcendit in altare; & linteis, quibus in rebus ſacris vtebatur, crucem exterſit. Lintea maculis ſanguineis tincta repente ſunt. Ciuitatis praefectus, & populus qui cõfluxerat ad ſolemnitatem, manus in caelum tendebat, Chriſti nomen implorabat, flagitiorum veniam pectus tundendo poſtulans, & ad pietatis ſtudium illorum animi vehementer accenſi: miraculum namque ingens, atque adeo cunctorum oculis patens, altos gemitus, pias acclamationes, & vim ipſis lacrymarum exciuit. Crux autem poſtquam multo liquore fluxit, clarius ſplendere coepit: & color ſanguineus euidentius eluxit. Et eo tempore ſingulis ferme annis, eadem feſtiuitatis die, Euangelij inchoationis momento miraculum recurrit. Quod ſi quando intermiſsio iſtius miraculi fit, ipſo doctus euẽtu, dirum aliquod portendi, populus exiſtimat. Quaeſiti diligenter, qui illas litteras interpretarentur. Accerſitus primum Brachmanas, litteris, eruditione, & multarum linguarum peritia inſignis; litteras eſſe dixit priſcas, quibus antiqui ſapientes vtebantur; negligentia hominum, factum eſſe, vt illarũ cognitio interiret: quin, linguam, qua erant de-
ſcri-

ſcriptae, a paucis admodum teneri. Admonetur Brachmanas, vt altare aſcendat. Reſtitit ille, nefarium facinus eſſe dicẽs, altare, in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. inuitus tamen ſubijt, & litteras perlegit, quarum vim eam eſſe dixit, vt vna nota decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia vero litterarum in ſumma haec erat: Thomam diuinum virum, fuiſſe a Dei filio, cuius erat diſcipulus, in eas oras, Sagami Regis tempore, miſſum, vt Dei ſummi notitia gentes illas erudiret: ibique templum extruxiſſe, & res admirabiles effeciſſe: atque tandem, cum genibus flexis ad crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuiſſe haſta transfixum. Crucem vero eiuſdem viri ſanctiſsimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius ſempiternam, relictam fuiſſe. Haec fuit demum ſententia litteris illis contenta. Fecit autem maiorem fidem alius eiuſdem ſectae vir, aliunde euocatus, grandis admodũ natu, & ſapientiae opinione praeſtans, qui eaſdem litteras in eãdem prorſus ſententiam interpretatus eſt. Ac ne quis apud nos in tali tantaque re dubitandi foret locus, totam dein & facti ſeriem publicis litteris conſignatam, & crucis exemplum, & inſcriptionis antiquae, e lapide ip-

ſo diligẽter expreſſam, Cõcinenſis Epiſcopus anno Domini MDLXII. ad Henricum Cardinalem, poſtea Luſitaniae Regem, tranſmiſit. Cuius rei fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo poſsit de tam claris atque teſtatis monimentis ambigere.

Neque omittenda eſt hoc loco praeclariſsima illa crux, angelicis manibus & artificio fabrefacta, in gratiam Alfonſi II. Hiſpaniae Regis, qui ob caelibem vitam ſemper actam, cognomẽ Caſti promeruit. Hic cum inſigne Oueti, vbi tũc Regia erat, templum S. Saluatoris maximum aedificaſſet, & vellet multis id & exquiſitis ornamentis, prout loci dignitas & maieſtas poſtulabat, inſignire; ex gemmis, quas plurimas & pretioſas habebat, crucem aureã magnam excogitauit adornare, & peritiſſimos artifices conquirere, qui huic operi conficiendo egregiam operam nauarent. In eam namque eccleſiam tranſtulerat reliquias, quae ex Toleto & reliqua Hiſpania in Aſturias fuerãt delatae: ſimul & arcam reliquiarum, quae ab Ieroſolymis tẽpore Mahometis Hiſpalim naui aduecta, inde Toletum translata, demum poſt annos ſexagintaquinque in Aſturias aſportata fuerat. Vt igitur pietatem & ſanctitatem huius optimi Regis miraculo teſtaretur &


tur,& religionem circa illum sacrum locũ gratam sibi esse Deus manifestaret: ecce egredienti semel e palatio duo iuuenes illi occurrunt, & sese esse primarios aurifices exponunt; proinde si sua opera & ministerio indigeret, praesto se futuros, & in cunctis quae imponeret, regiae eius voluntati pro virili satisfacturos. Excepit Alfonsus iuuenes pergrato animo, vt qui peritissimos artifices, qui aureã illã crucẽ perficere, quae votis suis respondere posset, summo desiderio expetebat. Re igitur cum iuuenibus communicata, tradidit illis tantum auri, quantum ipsi necessarium fore dixerunt; & multitudinem gemmarum omnis generis, ad crucem conficiendam & exornandam, habitacula & officinã intra palatium assignauit, vbi ministerium suum secreto exequerentur. Die mox sequenti, familiares aliquot suos misit, qui obseruarent, vti opus coeptum procederet. Renunciarunt Regi, domum reperisse desertam, aurificesque non comparere, verum crucem vidisse perfectam, tantam lucem & splendorem ex sese iaculantem, vt non possent fixis eam oculis intueri. Rex nouitate rei permotus, continuo aulicis pluribus comitatus, cubicula aurificum adijt: eos abscessisse comperit, & crucem ibi relictam miro fulgore micantem, tan-

Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus lib.4.c.9. Lucas Tudensis Episcopus in Chronicis Hispaniae. Alfonsus a Carthagena Episcopus Burgen. in Anacephalaeosi Hispaniae. Basseus in Chronicis Hispaniae. Ambrosius Moralius li.13. Historiae Hispanicae, in vita Alfonsi Casti, cap. 38.

to praeterea artificio confectam, quanto non poterant multis annis mortalium manus absoluere, neque eo venustatis, gratiae, ac pulchritudinis, citra diuinum miraculum humana industria peruenire. Materiam superabat opus. Tantaeque erat praestãtiae, & excellentiae, ac subtilitatis, vt multa oculos subterfugerent, paucissima imitanda superessent. Pius Rex Alfonsus, Dei erga se benignitatem admiratus, in gratias & preces se totum effudit: cõuocatoq. Episcopo, clero, & populo, solemni põpa, e palatio regio crucem in templum S. Saluatoris deduxit, ipseq. proprijs manibus in ara illius sacrae aedis maxima collocauit: in reconditioriq. eius sacrario hodie asseruatur, populoq. statis diebus visen da & adoranda, magna cum religione, proponitur. Huius rei gestae multa hodie vetusta monumenta & traditiones supersunt, & auctores graues etiam, qui eamdem cõfirment. Fuit autem haec Angelicis manibus crux cõfecta anno Dom. DCCCXXVI. regni vero eius XXXV.

Succurrit opportune hoc loco maxime admiranda, & celeberrima, decantatissimaque per vniuersam Hispaniam Carauacensis crux, ante 400. annos, Carauacae, nobili vrbe prouinciae Carthaginensis, quae hodie popularius, Regnum Murciae appel-

appellatur, magna religione asseruata; non vllo humano, sed Angelico dumtaxat artificio confecta: lignea illa quidem, sed cuius peculiaris arboris materia, ignotum: nisi ex quernea, vel alia paradisiaca constet. Eius formam, imagine hic subiecta, exacte expressimus.



Est autem Carauaca ciuitas mediterranea, aspero & montuoso iugo incumbens, quae militibus S. Iacobi Ensigeri subest, arcem habens munitissimam, praesidio & ar-

mis satis instructam, & subtus multas specus & latibula continens saxo ipso excauata. Quae olim, cum Agarenorum imperio pareret, ergastula erant tuta, continendis captiuis Christianis, quos in praedam cōtinue abducebant. Hanc Agarenus Rex aliquando ingressus, arcem inuisit, & captiuos iussit Christianos proferri, qui intra ergastula tenebantur. Quos vt macie confectos, & pallido eos esse vultu conspexit, sortem hominum & conditionem seruilem miseratus, ne deinceps ergastulis restringerentur edixit: ac singulos benigne patriam, parentes, & artem quam nossent, percontatus, in eadem eos exercendos instituit, vt reip. frugi, & liberius atque hilarius suo quisque muneri vacaret. Oblatus est inter alios presbyter. Hunc Rex, quam artem profiteretur, sciscitatus; sacerdotem se esse Christianorum respondit, & omnes artes, & Regum quamcumque potentiam suum ministerium superare. Rex se intueri velle istiusmodi mysterium, & vt illud in suo conspectu celebraret, mandauit. Sacerdos contra respondit, destitui se vestibus sacris, & ceteris necessarijs ad sacram rem peragēdam, quae apud Christianos in promptu esse solerent. Rex continuo iubet, vt e proximo Christianorum oppido omnia peterentur, quae ad hoc

mini-

ministerium celebrandum opportuna esse videbantur. Ara intra arcem erigitur, lapis sacratus illi superponitur, vestibus sacris presbyter amicitur: calix aderat, panis & vinum consecranda: & V. tunc Nonarum Maij illuxerat, quo solemnis S.Crucis inuentionis festiuitas agebatur. Orsurus Missam sacerdos constitit. Caussam cũctationis Rex sciscitatus: crucem deesse dixit, quae consuesset huiusmodi ministerio & ritibus illo die praesertim adhiberi. Vix haec fuerat effatus; cum, fornice, qui altari imminebat, dehiscente, magnus splendor effulsit: & per illum hiatum duo Angeli de caelo illapsi, crucem ligneam bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis, tanto miraculo conspecto: & Christianis qui aderant, lacrymae obortae, & singultus imo pectore eruperunt & gemitus: pectus tundunt, clamorem attollunt: & gratias de tanto beneficio vix poterant Deo, prae gaudio admirabundi, intonare. Rex cum suis aulicis Christianam fidem complexus, Christianos libertate donauit: & sacello intra arcem constructo & dicato, Angelicam illam crucem intra pretiosam arcam asseruandam reponunt, tribus hodie seris & totidem clauibus obsignatam: quarum vnam arcis praefectus,

secun-

secũdam templi maximi primarius sacerdos, tertiam Senatus Carauacensis habet. Singulis quibusque annis, die III. Maij, quo Crucis inuentio recolitur, & illa crux ab Angelis fuit deportata, insigni pompa, publicis supplicationibus ex arce ad fontem copiosissimum, lacum suis fluentis efficientem, ferreis clatris obseptum, deducitur, & ter intra illas vndas submergitur, eiusq. sacro contactu illae sanctificãtur, ita vt multis morbis & aegritudinibus degustantium subueniant, & multis alijs rebus euadant salutares. Ad hoc spectaculum innumerae gentes & populi ex omni vndique Hispania confluunt, sanctae crucis lignum illud adoraturi. Tantum thesaurum ordo sacerdotum primoris ecclesiae illius vrbis voluerunt sibi vendicare, in templum suum inferentes: sed eum locum crux dedignata in proprium arcis sacellum concedebat. ideo non nisi iureiurando interposito, Clero Senatuiq. Carauacensi concreditur: qui peractis de more supplicationibus, continuo se restituturos arcis praefecto pollicentur. Mirãdum profecto est, C C C C. & eo amplius annos viguisse illud lignum, citra cariem & teredinem, aut vllũ vitium, illaesum perdurasse. Infestatur maxime Carauaca tẽpestatibus frequentibus, tonitruis & fulminibus, grã-
dine

dine & lapidibus, quibus pluit: atque his caeli iniurijs arcendis, & auertendis, datum illi singulare illud praesidium crucis. Quae mox vt e sua theca extrahitur, & hiatum illum contingit, per quem fuit primum ab Angelis transmissa, continuo omnia conquiescunt, & tempestas sedata, trãquillitas & serenitas subsecuta. Timent namque mali daemones crucis signaculum, tamquam exterriti & omnino per eam subacti.

Gloria Crucis, non solum in Italia tempore Constantini Maximi Augusti, & Ierosolymis in Asia, & in Hispania aetate Alfonsi Casti, & in India nostro seculo, sed etiam in nouo orbe peculiarius illuxit, & nouis miraculis manifestata est: vt nulla esset mundi ora adeo remota, quam non virtus & diuinitas Crucis impleret, & speciatim illustraret. Anno namque Domini MCCCCXCIII. Christophorus Columbus noui orbis repertor, secunda quam suscepit ad Hispaniolam insulam, nũc Sancti Dominici dictam, nauigatione; cum primum eius littus tenuit, lignum e silua proxima excidi iussit egregium, ex quo crux XVIII. pedes longa, proportione lata confecta fuit; & in agro proximo vrbi, Cõceptionis appellatae, collocata demum eiusdem imperio extitit. Hanc insulani ae-

gre

gre ferentes, deturbare nixi, nihil effecerunt. Funibus deinde admotis, multitudo collecta, totis viribus contendens, euellere, aut loco dimouere nequiuerunt. Cuius rei admiratione vehementer perculsi, & aliquod cruci diuinum inesse rati, a coepta opera destiterunt, non ausi deinceps quippiam aduersus eam tentare: immo, cum viderent tanta circa ipsam Christianos reuerentia teneri, eamdem ipsi etiam venerari, & se coram illa submittere & inclinare coeperunt. Compertissimum fuit, multa Deum admiranda & insignia miracula per hanc crucem edidisse. Expositam namque furiae ventorum, qui in ea insula mari terraque solent esse saeuissimi, & imbribus copiosis, tãto annorum cursu, neque disiectam, neque corruptam, aut quidquam detrimenti vmquam perpessam fuisse, cõstat. Eiusdem etiam virtus inuocata, multis praesidio fuit, multis morbis opem praesentissimam tulit. Hinc religione tacti non solum indigenae, sed etiam aduenae illuc appellentes, particulas ex ea cruce dissectas, in patrium cuiusque solum deferẽtes, remedium plurimis malis eius subsidio implorarunt. Diuina igitur prouidentia in propagatione Christianae religionis per Imperium Romanum, instauratione eiusdem in India, & plantatione in nouo

orbe,

orbe, a trophaeo & victrici Crucis signo exorsa, ostendens nullam viam patere, nullum subterfugium malorum occurrere potentius posse, quam Crucẽ, ex qua salus, vita, & resurrectio nostra pendet, & per eam saluari & liberari speramus.

De Crucis mysterio, per omnem mundi aetatem ante Christi mortem, praenunciato.
Cap. XXXVI.

ARBOR illa insignis, manu Dei in paradiso voluptatis consita, vitam producens, & immortalitatem largiẽs vescentibus eius fructus, typus fuit ligni Crucis ab exordio mundi, & vmbra quaedam illud praedicens: & sicut alia planta ob abusum liberi arbitrij funesta fuit, & mortem primo homini, & cunctae eius posteritati induxit, sic alia reparauit, & damna illata resarciuit. In ligno namque illo natura humana victa & superata fuit, in isto victrix & triumphans; per illud in seruitutem sub daemonis potestate redacta, per istud tandem in libertatem asserta, & de eius dominio erepta extitit tandem. Lignea praeterea machina, intra quam Noë, cum vxore, filijs, & nurubus totidem, vniuersale diluuium & cladem communem euasit, Crucis lignum signauit, cuius beneficio huma-

Genes. 2. & 3.

Genes. 7. & 8.

na erat a communi exitio seruãda natura.
Sap. 10. Diuino namque testimonio dicitur: Cum aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum
Sap. 14. gubernans. Et iterum: Vt non essent vacua sapientiae tuae opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt, vtrobique reconditiore sensu Crucis lignum insinuante Spiritu sancto.
Gen. 22. Isaac praeterea ligna in sacrificiũ vehens, quibus erat victima adolendus, sicut ipse Christi, ita & ligna Crucis figura fuere, quam idem Christus suis humeris vexit, & super eam victima fuit aeterno Patri pro
Gen. 48. nostris peccatis oblata. Iacob moriturus, cancellatis manibus, benedixit Ephraim & Manasse nepotibus, crucis formam brachijs exprimens, & mysterium signans. Sacrificia praeterea omnia Deo olim adolita, & holocausta quaecumque, non nisi lignis suppositis fiebant; & sicut sacrificia atque holocausta Christi necẽ, ita & ligna Crucem eius, quandiu viguit ritus Iudai-
Hiero. in Esaiam c. 56. cus, adumbrarunt. Signo etiam crucis, Hieronymo tradente, postes domorum Aegyptiacarum, ne percuterentur ab exterminatore, signati; & Aegyptijs pereuntibus, soli Iudaei seruati. Lignum praeterea
Exodi 15. a Moyse proiectum in amaras aquas, quo dul-

dulcescerent, Crucem signauit, qua amara vertuntur in dulcia: iugũ enim illius suaue est, & onus leue, Hieronymo id adnotante. Lignum Crucis monstratum est pariter in expansione manuum Moysi, qua inimici prostrati. Quando enim Moyses expandens manus in formam crucis, orabat vt Iesus vinceret Amalech, Crucis tũc in eo sacramenta pandebantur: cum autem deprlmeret manus, crucisque signum solueret, Amalech superabat: vt victoria non solum oranti, sed crucis signo cessisse credatur. Crux enim non secus atque passio Christi, antequam essent, operabantur, mente & fide atque vaticinio cõcepta pijs ab hominibus.

Hieronymus in Ezechiel. cap. 47.

Exodi 17.

Hieronymus in Osee c. 12.

Serpens praeterea aeneus super stipitẽ vel lignũ aliquod a Moyse erectus, in quẽ, velut in signũ, morsi a venenosis animalculis aspicientes sanabantur, quem Ezechias sub initium regni sui, post octingentos & eo amplius annos, quod superstitiosus populus Iudaicus diuinos ei honores deferret, comminuit & contriuit: proculdubio Christum significabat; sicut stips, vel lignum, in quo pendebat, Crucem: quam figurã Saluator Nicodemo Pharisaeo, viro docto, explicuit: Sicut Moyses exaltauit, inquiens, serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit

Num. 21.

4. Reg. 18.

Ioan. 3.

Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem.

dit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam
Eſaiae 9. aeternam. Eſaias etiã lignum sãctae Crucis clare praedixit, cum ait: Cuius imperiũ ſuper humerum eius. Quis autem omnino Regũ inſigne poteſtatis ſuae humero praefert, & non aut capite diadema, aut manu ſceptrum, aut aliquam propriam veſtis notam? Solus namque nouus Rex Chriſtus Ieſus, nouae gloriae poteſtatem & ſublimitatem ſuam, Crucem humero extulit. Hoc idem ſignificauit Thau, ſuper gementes & dolentes impreſſum; quo qui notati erant,

Ezech. 9. Hierony. in Eſaiae c. 56. Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcion.

apud Ezechielem, manus vaſtatoris & exterminatoris euadebant, vt docuit Hieronymus. Thau namque, & figuram crucis antiquam, quam in ſancti Antonij & manu & penula cernimus, eamdem prorſus eſſe, Ezechielis teſtimonio, ac S. Hieronymi explicatione non obſcure indicatur, & cõuenire cũ hieroglyphicis Aegyptiorum notis. Tau quippe Gallicum poſitum inuenitur pro cruce apud celeberrimos auctores; quam ad eum conſtruere modum Galli conſueuerant: & crux ad formam litterae Tau Graecorum facta eſt. Quo nihil dubitationis reliquum ſupereſt, quin dicamus antiquiſsimam Tau figuram, eam ipſam eſſe, quam Graeci & Latini ſeruarunt.

S. Hieron. In cap. 9. Ezechiel.

Et cum S. Hieronymus dicat, ſua etiam tunc aetate, Samaritanorum Tau, crucis figu-

figuram habuisse, & Samaritanorum characteres olim etiam Hebraeorũ fuisse; necessaria collectione cõcluditur, Tau, crucis genuinum fuisse signaculum. Non solum autẽ Tau in vetustis Samaritanorum, quibus tunc temporis vtebantur, litteris, sed etiam Indorum, crucis formam expressit. Crucis praeterea figurã facit antenna e malo ad angulos rectos suspensa; facit & auium volatus, alas extendentium; natatus itẽ hominis, cuius brachia transuersarium crucis lignum imitantur. Regius item Propheta multo ante id praedixerat, Regnum Christi Dei, a ligno initiũ sumpturum: Dicite, inquiens, in nationibus, quia Dominus regnauit a ligno: sicut in psalmodia Romana cantatur, & Tertullianus vertit lib. 3. contra Marcionem, & in versu, qui solet memoriae Crucis praemitti tempore paschali iuxta versionem quorumdam, & sententiam Fortunati Episcopi, siue Theodulphi Aurelianensis, in illo celebri & pio hymno tempore passionis Christi ab Ecclesia decantato: Impleta, inquiens, sunt quae concinit Dauid fidelis carmine, dicẽdo nationibus, Regnauit a ligno Deus. Immo Hieronymus, alios locos psalmorum de Cruce interpretatur. Qualis est ille, Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant a facie arcus: & alter,

Psal. 95.

Hierony. in Esaiam cap. 56.

Psal. 59.

Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: per ſignificationem vtique, & illuminationem vultus, impreſsionem ſanctae crucis & conſignationem intelligens. Eodemque modo propheticum oraculum Simeonis, ſuis vlnis Chriſtum infantem cõplectentis. Hic erit in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. Signum ibi aduerſantiũ, crucem, interpretatur. Nõ ſolum autem crux & eius veneratio teſtimoniũ recepit a praedictione ſacrorum ſcriptorum, ſed etiam Gentiliũ. Sibylla enim multo ante oraculũ de S. Cruce cecinit in haec verba, vt Sozomenus, Suidas, & Nicephorus teſtantur.

Pſal. 4. Hieron. ad Fabiolam de veſtibus ſacerd. Lucae 2.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.

Sozomenus lib. hiſt. lib. 2. c. 1. Suidas. Nicephorus lib. 8. c. 29.

A doctrina namque noſtra alieni, praeſtantiore quadam Dei ordinatione, futura de Chriſto praedicarũt. Ipſi namque Gentiles, ingenue fatentur, hoc eſſe Sibyllae carmen. Quare neceſſario fateantur oportet, & lignum crucis, atque adeo eius venerationem ab ipſa Sibylla praeſignificatam longe ante Chriſtianorum tempora fuiſſe. ſed & antiquitus Tau, in Aegyptiorum notis, pro vitae venturae teſſera exprimebatur. Signum namque hoc noſtrum Dominicae crucis, inter illas, quas dicunt ἱερατικὰς, id eſt ſacerdotales litteras Aegytij habuiſſe dicuntur velut vnum e ceteris litterarum,

rarum, quae apud illos ſunt, elementis. Cuius litterae, ſeu vocabuli, hanc eſſe aſſerunt interpretationem, Vita ventura. Theophilus namque Alexandriae religioſiſsimus Epiſcopus a Theodoſio Magno Imp. impetrauit, omnia falſorum numinum fana deijci, & ſimulacra conflari, ac eorum pretium erogari in pauperum vſus. Templo autem Serapidis deſtructo, ſacrae litterarum notae inuentae ſunt, crucis forma. Has cum vidiſſent Graecae religionis homines, fidem fuere Chriſtianã cõplexi, dicentes hieroglyphico ſenſu crucem deſignare vitã ſuperueniẽtem. Pagani autem, qui admiratione rerum geſtarum cõuertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditũ teſtabantur, quod ea quae nunc coluntur, tandiu ſtarent, quandiu viderent ſignũ iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Vnde accidit, vt magis hi, qui erãt ex ſacerdotibus & miniſtris templorũ, ad fidẽ cõuerterentur, quã ignara reliqua plebs. Accidit autẽ fani Serapidis euerſio anno Imperij Theodoſij XI. qui fuit Chriſti 392. Horum auctores ſunt, Rufinus, Sozomenus, Nicephorus, & Cedrenus hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores, atque etiam Suidas. Hieroglyphicorũ igitur peritis opinio & traditio fuit ad poſteros deriuata, oraculum apud eos fuiſſe, tempus tandem fore, quo per hoc ſignum

Rufinus. Sozomenus lib. 7. c. 15. Cedrenus pag. 267. Nicephorus lib. 12 c. 25. Suidas.

vita mortalibus daretur. Omnes namque caerimoniae ad crucem trahuntur, & in ea summum mysteriorum continetur, & totius nostrae fidei & religionis compendium existit. Bene autem cecidit, id Theodosij principatu annotatum, proditumque litteris fuisse, quo ex eo clarius euadat, nos non primos esse eorum, qui apud Aegyptios crucis signum inter hieroglyphica repererunt. Vidimus namque huiusmodi crucis notas, non solum in obeliscis quos Sixtus V. Pont. Max. refectos erexit in Vrbe, sed & alibi in quibusdã alijs Aegyptiorum scalptis marmoribus, lapidibus, & gẽmis. Et vt vno verbo crucis praedictiones concludamus: nullum fuit apud antiquos legitimum sacrificium, quod non ad victimam in cruce immolãdam referretur, & ex ea quidquid virium haberet, assequeretur. Hoc signum si recte apprehenderimus, nos tandem totos corpore & animo caelo inferemus.

Creberrimum fuisse olim vsum crucis. Cap. XXXVII.

QVAMQVAM nostra aetate frequẽs sit inter vere Orthodoxos vsus crucis, & eius in fronte signaculum: vt in sacris Missae mysterijs, ad significandum multos dolo-

dolores & tormenta quae Christus in sua passione tolerauit: in sacramentis conferendis, & ordinatione Ecclesiae ministrorum: in consecrationibus templorum, basilicarum, altarium, calicum, & vestiũ, quibus Episcopi, sacerdotes, & alij administri diuinis in ministerijs vtuntur, & benedictionibus populo largiendis: & frontem ipsa cruce consignandi, ventrem, & latera; quod communiter Christiani omnes vsurpant, diuina, vt creditur, doctrina ad hoc per traditionem Apostolicam instructi: quod tribus digitis exprimendum esse docet Innocentius, ad significandum Trinitatis mysterium. Ducitur autem primum a fronte vsque ad vmbilicum, vt indicetur, filium Dei vnigenitum de summo caelo egressum, in viscera matris descendisse. Deinde a sinistro brachio ad dextrũ, vbi caussa simul incarnationis eius exprimitur, vt qui eramus a sinistris inter haedos, transferret ad dextrã inter oues suas. Solent etiam huic signandi mori tres aliae cruces praemitti, & pollice imprimi in fronte, ore, & pectore, vt corde diligamus crucem, ore confiteamur, & fronte non erubescamus eius signaculum imprimere. Est enim frons pudoris sedes, & arcis veluti humanae facies, & praeclarior aspectus. Episcopi praeterea cruce vtun-

Innocentius lib. 1. cap. 44. de altaris sacraměto.

tur in pectore, crucem ante se gestant, vt continuam crucis memoriam retineant; & exemplo Christi, cuius est illud regium vexillum,& triumphale insigne, vitam pro grege sibi cōmisso effundere, vbi oportuerit, sint parati:& re ipsa praestent munus boni pastoris. In publicis supplicationibus cruces etiam praecedunt, quo admoneamur preces tunc rite effundendas nostras, & impetranda a Deo beneficia quae petimus, si a cruce initium sumamus. Pugnam conserturi cum hostibus signis militaribus cruce signatis vtuntur, sperantes feliciter omnia ipsis casuræ, victori illo vexillo protectis. Templa ingressuri, vel aqua se lustrali expiaturi, vel limen aedium transgresși, cubitum concedentes, siue lecto assurgentes, & ante cibum sumendum,hoc eodem signo fideles se muniunt.Verum nō est adeo frequens huiusmodi apud nos cōsignatio, atque olim extitit: quae omnibus ferme rebus & actionibus miscebatur. Vnde Tertullianus, qui priori illo saeculo Ecclesiae vixit; Ad omnem progressum, inquit, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina,ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. B.Efren eadem effert, inquiens: Pingamus

Tertullianus in lib. de corona militis. Efren.lib. de vera poenitentia, & lib. de armatura spirituali. c.2.

gamus in ianuis,atque in frōtibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum crucis; armemur insuperabili hac Christianorū armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terrae, paradisi reseratrix, haeresum profligatrix, daemonum expultrix, monachorum adminiculū,firmamentum fidei, magna salutarisque custodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in aeternum.Hanc, o Christiane, armaturam diebus singulis,& noctibus, horis, atque momentis, in omni loco circumferre nō desinas,nihilque sine ipsa perficias. Scuti vice, crucis signo te ipsum muni, signans ex eo membra omnia, & cor tuum: validissima quippe armatura haec est: nullusque vmquā tibi nocere poterit, si hac septus fueris. Non pudeat igitur nos crucem confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimamus: & in alijs omnibus crux fiat; in panibus comedendis,& in poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu,ante somnum, recumbendo, & surgendo,eundo,& quiescendo. Magna namque & firma haec custodia praetoriana, a Deo fidelibus concessa, quae pauperibus gratis datur, infirmi citra laborem ea potiuntur. Crux ideo vbique terrarum & locorum celebratur; in domibus, in foro, in

ſolitudine,in vijs,in montibus, in collibus, in vallibus,in mari,in nauigijs,in inſulis,in veſtibus, in armis, in thalamis, & ſympoſijs,in vaſis argenteis,in aureis,in margaritis, in murorum picturis. In purpuris Regum crux,in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, in menſa ſacra crux,& in toto orbe terrarum crux, & ſuper Solem fulget crux : & quam omnes prius exhorrebant, atque execrabantur, eius tantopere vbique figuram expetunt. Ea inuenitur apud principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos: ſubinde omnes ea ſe ſignant, inſcribēdo in nobiliſsimum membrum noſtrum.In fronte enim noſtra,quaſi in columna & arce, quotidie figuratur: & quod horrori antea fuit,nūc nobis cedit in gloriam & triumphum, & non erubeſcimus illam pro amuleto geſtare. Qui enim
Mat.10. illam ingenue confitebitur, confitebitur
Marci 8. eum filius Dei coram patre ſuo,qui in cae-
Lucae 9. lis eſt:& qui eius puduerit,& erubuerit,vel abnegauerit, pudebit eius, & erubeſcet filius hominis, vbi venerit in gloria patris
Galat. 6. ſui cum Angelis ſuis. ideo diuinus Paulus aiebat; Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Etſi
Hebr. 12. enim Chriſtus ſuſtinuit crucem, confuſione

ne contempta;per crucem tamē imperium totius orbis illi acceſsit, & verſa eſt in gloriam, victoriam,& trophaeum, quae tanto dedecori olim fuit, opprobrio & deſpectui. Exaltatus enim per crucem a terra, omnia traxit ad ſeipſum, & data eſt illi tandem per crucem omnis poteſtas in caelo & in terra.Et omnes principes Chriſtiani, qui regnis, aut ſupremo imperio rite potiuntur, per crucem regnant, & vicarij ſunt Chriſti, archimonarchae Angelorum & hominum. Hinc ortum, vt Imperatores & Reges orbem manu geſtent, cui ſupereminet crux, vt ſciant virtute & participatione crucis ſe regnare, & tamdiu ſuum imperium firmum futurum, quamdiu cruci paruerint, & ſe totos illi ſubiecerint, ſupremumque locum & arcem ea occuparit,& tamquam ad faſtigium tenenti, omnis potētia, auctoritas, iura,& actiones ipſorum referantur. Hanc Apoſtoli ſummopere venerati; Petrus gaudenter complexus, in ea glorioſe martyrium ſubijt: Andreas eius frater viſam ſalutauit, exclamans:Salue crux pretioſa, quae in ſanguine Chriſti dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata:ſuſcipe diſcipulum eius, qui pependit in te magiſter meus. Thomas ad crucem orans a Brachmana occiſus in India. Hanc in penula &

manu

manu nō ſolum Antonius, ſed & alij Aegyptij monachi geſtarunt. Sed & illud apud Alexandriam Aegypti geſtum eſt; quod thoraces Serapis, qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſsibus, in poſtibus etiam ac feneſtris erant, ita abſciſsi ſunt omnes & abraſi, vt ne veſtigium quidem vſquam, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cuiuſlibet alterius daemonis, remaneret; ſed pro his crucis Dominicae ſignum vnuſquiſque in poſtibus, in ingreſsibus, in feneſtris, in parietibus, columniſq. depingeret. Quoniam vero in Aegypto aduerſo flumine Nilo in Aethiopiam iter patet, & magna olim inter illas regiones commercia fuerunt; nō dubitandum, quin in religione quoque vetuſtiſsima, magna in multis fuerit concordia. Nuſquam certe gentium maior eſt crucis ſimulacrorum vel in manibus vel in collo ferēdorū vſus, quam apud Abyſsinos: quod licet de cōmuni omniū Chriſtianorū cōſuetudine emanaſſe dici poſsit; facit tamen Aegypti vicinia, vt ſuſpicemur, & etiam credamus, hāc tam aſsiduam & perennem cōſuetudinem, ad Aegyptiacam originem pertinere. Vnuſquiſque enim Abyſsinorum crucem e collo pendentem geſtat, monachi ſinguli aliam etiam in manu. Quando cum alio procedunt, vel iter agunt, crux eos lignea ante-

Rufinus.

Philippus Bergom. ſuppl. Chronic. lib. 17. pag. 417.

Damianus Goës in lib. de moribus Aethiopum.

antecedit in memoriã pasſionis Chriſti: in ſuo exercitu viginti magnae cruces, multis pretioſis ornamentis inſignitae, praeferuntur: & inter cetera profeſsionis ſuae dogmata, vnum eſt, credere ſanctum lignum crucis, lectum aegritudinis Domini noſtri Ieſu Chriſti filij Dei eſſe. Apud Chinas etiam crux inter ſacra ſigna habetur, ſed qua de cauſſa ab ijs ignoratur. Nam vt ad Abyſsinos per eunuchum Reginae Candaces Euangelium venit, ita apud Chinas quoque, & vicinas Orientis gentes per S.Thomam praedicatum fuit, vt ex actis eius accipimus, quae apud Indos, vbi vixit, & necem ſubijt, aſſeruantur. Immo, quod mirabilius exiſtit, in nouo orbe cruces repertae in fanis, & ſepulcris vetuſtiſsimis, quarum tamen originem vel ſignificationem incolae prorſus ignorant; immo ſimulacra aliquot mitris epiſcopalibus & baculis inſignita: de quibus nullam rationem reddunt, ſed tantum vetuſtiſsima eſſe monumenta longiſsimis ſeculis a maioribus illic collocata. Quo fit, vt aliquem Chriſti diſcipulum illuc appuliſſe & penetraſſe credamus, qui illos rudes populos tunc inſtituerit in doctrina Euangelica, & Epiſcopos & ſacerdotes aliquot ordinarit, qui illi genti praeeſſent, & crucis cultum & adorationem induxerint. Religio

Frãciſcus Aluarez in itinerario Aethiopiae. cap.3.

gio tamen ſenſim abolita, & miniſtri Euã-
gelici forſitan caeſi, vt non potuerint de
regionibus illis incognitis, & numquam
antea luſtratis, ceteros mortales inſtrue-
re: nam veſtigia crucis & epiſcopalis ha-
bitus, quae illic nunc vſque permanſerunt,
clare teſtantur ab aliquo fuiſſe Chriſti ſe-
ctatore illuc inuecta, qui nũquam ad ſuos
amplius ſit reuerſus. Nulla namque gens
tam barbara, aut a cognitione hominum
ſemota, quam non Apoſtoli aut alij primo-
res Chriſti non luſtrauerint, & crucis my-
ſteria, quae rete ſunt Apoſtolicum, non in-
Pſal. 18. tonarint, iuxta illud regij Prophetae de ijſ-
dem multo ante vaticinium praedictũ: In
omnẽ terram exiuit ſonus eorũ, & in fines
orbis terrae verba eorum. Crux enim
Chriſti, mũdum deſignat; & quattuor eius
cornua, totidem mundi partes. Vertex, eſt
Oriens: dextra, Septentrio: laeua, Auſter:
inferior, Occidens: ad quas omnes notitia
crucis vulganda & propaganda erat.

Signum crucis daemones vehementer formidare. Cap. XXXVIII.

PRETIOSAE Crucis ſignum adeo eſt daemonibus formidabile, vt obiectum continuo fugiant, non potentes tantum lumẽ & ſplendorem ſuis caligantibus oculis ſuffer-

ſufferre, Chriſtianis quidem carum, ipſis maxime inuiſum, illis fauſtum & plauſibile, iſtis funeſtum, hoſtile, atque dirũ. Triũphauit enim Chriſtus Deus de illis in hoc ſigno: ideo quando vident crucem, recordantur crucifixi: metuunt enim eum, qui cõtriuit capita draconum. Sãcti ideo martyres ſiue iudicio ſiſtẽdi eſſent, ſiue necem ſubituri, cõtra diabolicas tẽtationes, illuſiones, & praeſtigias, ac terriculamenta, tutiſsimum, praeſens, & ſalutare illis remedium crucis impreſsio fuit. Hac daemones ab obſeſsis corporibus pelluntur, magi confunduntur, incantamenta arte diabolica procurata ſoluuntur, idola corruũt, & tempeſtates arcentur, & compeſcuntur. Crux igitur cum ſit inſigne Chriſti victoriae trophaeum, gloria, & honor eius, mortis ſtimulus, de omni magia, de morte, de daemonibus triumphans, noſtrumque ſigillum ad ſalutem; merito illud daemones tantopere expaueſcunt, euaneſcunt & fugantur hoc ſigno propoſito. Quare ſi in fronte & mente crucẽ impreſſerimus, nullus ſceleſtorum daemonum, cum haſtam videat, qua letale vulnus ſuſcepit, congredi nobiſcum audebit. quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte quoque ac mente magno ſtudio crux eſſet nobis inſerenda, & vexil-

lum militare aduerſus daemonũ inſidias leuandũ; & vt feliciter & tuto cum ipſis congredi & decertare poſsimus, hoc nos telo
2.Cor.10. & armatura munire debemus. Arma enim noſtra nõ carnalia, ſed ſpiritualia ſunt, potentia Deo, qualis crux eſt, aëreas ſpolians & euertens poteſtates, tartareas legiones deuincens, lemures & laruas & ſpectra ac inania phantaſmata nocturna & diurna propellens. Manifeſte igitur crux in fronte imprimenda, vt daemones ſignum Regis videntes, tremore correpti, procul aufugiant. Faciamus autem hoc ſignum, manducantes, & bibentes, ſedentes, ac ſtantes, & loquentes, & ambulantes: in ſumma, in omni noſtro negotio accipiamus arma contra aduerſarios huius crucis. In quo ſenſu videtur Paulus Corinthijs ſcribere,
1.Cor.10. inquiens: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei
Coloſſ.3. facite. Et rurſus Coloſſenſibus: Quodcumque facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum. In omni innuẽs actione ſignum Chriſti praemittendum, quod eſt crux, in qua eius gloria & nomen inuocatur, & gratiae aguntur pro beneficio in ea cunctis collato. Videtur enim totius fidei noſtrae compendium in hac vna cruce ſignandi ratione

ne

ne contineri. Ea propter diabolus tantopere eam oppugnat, tantisque malis artibus & technis vtitur, ad eã, si posset, euertendam. Habet enim suos milites & satellites, per quos, quod ipse nequit, exequitur, Iudaeos, Paganos, & haereticos. Crucis namque signum, vt maledictum & anathema, fugiũt Iudaei, nec in fronte pingere volunt: ita haeretici nostri temporis, crucis figuram multis in locis abolent, & tamquam maledictum in fronte aut ferre aut pingere horrent; adeo vt Lutherus ipse festum Crucis, quasi semiiudaeus, anathemate damnarit: & Brentius, cum alijs nostrae aetatis impijs Iconomachis, Catholicos ob pias sanctae Crucis caerimonias, sacrilegae magiae accusare non verentur. Simulacra praeterea crucis, quae ipsi daemones timent, neque audent contingere, aut laedere, non e vijs & compitis modo, verum e templis eijciunt, vt ne qua tanti beneficij memoria supersit. Benedictionũ vsum, quae per signum crucis fiunt, quibus nos per crucem a maledicto liberatos profitemur, ludibrio habent, neque ferre possunt, vt per verbum Dei signo crucis aliqua creatura sanctificetur, audaciores daemonibus effecti, & magisterium satanae supergresi, scelestiores ipso euadunt, abijcientes praesidium, quod ipsos serua-

Lindanus Dubitantij sui dialogo 2.

re

re poſset,& reducere ad auitam fidem,quã amentes & inſenſati tam temerarie abnegarunt:inermes omnino redditi, diaboli incurſibus,vt ita praedae & direptionibus pateant eius, quos videt auxilio crucis omnino deſtitutos.

Crucis ſignum morbis & periculis alijs auertendis ſalutare fuiße.
Cap. XXXIX.

SIGNVM Crucis ſeruauit Hebraeos in Aegypto,ne ab exterminatore delerentur; in deſerto, ne perirent a ſerpentibus morſi:tempore Ezechielis, illo ſignati caedem euaſerunt: Cõſtantinianae victoriae, & Honorij,eiuſdem virtute partae, & pleraeque aliae, quarum ſuperius diffuſe meminimus. Moribunda femina, & mortuus vir,eius contactu,cum primum reperta,ſuſcitati.Theodoſius praeterea Magnus Imp. Honorio & Arcadio Conſtantinopoli relictis, in Occidentem copijs cum Orientalibus profectus, ordinum ducibus profectionem eam diſſuadentibus, & in aliud tẽpus differendam, quo eſſent maiores copiae collectae, proponentibus, nullatenus acquieuit; non eſſe tantam imbecillitatem tribuendam, dicens, omnipotenti crucis armaturae,quae ex aduerſo Herculis imagini

Nicephorus lib.12 cap.39.

gini opposita esset. Exercitui enim suo crux praeibat, hostium autem copias Hercules pro signo antecedebat. Ad Alpes igitur contendens, prima tyranni Eugenij praesidia cepit. In locum autem periculosum, cum hostium exercitu conflicturus, perueniens, ante & a tergo aduersarios imminentes habens, proelium cum eis atrox & dubium cõmisit. Ad preces igitur, re iam ferme desperata, cõfugienti, Ioãnes Euangelista, & Philippus, sãcti Apostoli Christi, sui tutelares, in somnis apparent, & alij etiam militi visi, victoriamque virtute crucis pollicentur. Eugenius tandem tyrannus eo proelio victus, copiae eius deletae, Arbogastes seipsum interimit, & victoria insignis caelitus parta, pugnantibus pro ipso multis legionibus Angelorum: & tandem crux Herculem calcauit: vt quae telum potentissimum ad victoriam pertinens, & illius signum sit salutare. Constantinus etiam Maximus satellites quinquaginta, corporis robore, virtute animi, pietatis institutis eximios, ex omni suo exercitu delegit, qui in solam vexilli S. crucis gubernationem omni cura ac studio incumberent, vallarent illud vndique, singulique suo ordine gestarent.

Cedrenus in Annalibus pag. 166.

Accidit in quodam proelio turbatio repentina: & qui vexillum crucis, quae in

Imperatorio labaro habebatur, humeris gestabat, formidine exterritus, alteri tradidit, vt belli impetum effugeret. Postquã alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extra vexilli praesidium locatus, telo in ventre coniecto confossus occubuit, timiditatis & diffidentiae poenas luens. ille autem, qui salutare trophaeum sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio euasit incolumis; adeo vt saepe cum tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterit, & vexilli hastile tela missa exceperit. Et quod omne plane superat admirationem, tum quod tela ab hostibus iacta, sic intra exiguum illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa haerescerent: tum quod ille qui illud ipsum gestabat, mortem effugeret. Immo vero, qui hoc ministerium obibant, nihil damni, incommodive vmquam acceperũt. Quam historiam Eusebius ex ore ipsiusmet Constantini Imperatoris excepit: qui addebat, rem dignam esse, quae litteris ad posterorum memoriam commendaretur. Haec igitur miracula de Crucifero Constantiniano, & alijs, qui hoc munere fungebantur, qui nec in grauem aliquam calamitatem inciderunt, aut vulnus acceperunt, aut captiui vmquam abducti fuere, diuina Crucis virtute

Eusebius de vita Constantini lib.2. c.8.& 9. Nicephorus lib.7. cap.37. Sozomenus hist. lib.1. c.4.

tute

tute id operante. Neque hoc loco ſubticendus eſt Bogoris, Bulgarorum Rex, qui Chriſtianus factus contra procerum & populi reliqui votum, aegreferentium mutationem religionis: ſeditione & communi tumultu excitato, vniuerſis ferme aduerſus eum arma corripientibus, ipſe parua manu, ſigno crucis praelato, multitudinem fudit. Cuius rei admiratione & inopinato euentu perterriti, ad Chriſti fidem perducti, Regiſque propoſitum commendarunt. Addam & miraculum ingens, quod crux edidit Apameae, huic noſtro tractatui accommodatum & peropportunum. Apameēſes intellexere Choſroëm Perſarū Regem, qui vixit tempore Iuſtiniani Imp. Antiochiam igne ſuccēdiſſe: quare Thomā eius vrbis Epiſcopum, virum probitate morū & litteris praeſtantiſsimū, quaſi ſpe ſalutis deſtituti, ėnixe rogarūt, vt ſalutare vitaleque lignum Crucis in medium proferret, inque omnium oculis ſtatueret; quo iam, cum ſupremum vitae diem viderētur obituri, illud contemplarentur, amplexarenturque, vtpote, in quo ſolo hominum ſalus poſita eſſet; atque adeo ad aliam iam vitam profecturi, crucem venerādam haberent pro viatico, quae poſſet eos ad meliorem locum incolumes perducere. Acquieuit Thomas, licet conſuetudo id mini-

Cedrenus in Annalibus pag. 443.

Euagrius hiſt. lib. 4. cap. 25. Nicephorus lib. 17. c. 15.

me pati videretur: diebus ad eam rē praestitutis, vitale lignum Crucis profert. Adorant, amplexantur. Thomas sublatis manibus, lignum sanctae Crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum sanctuarium circuiens, omnibus ostendit. Ac Thomam de loco in locum progredientem, ingens flamma ignis splendescentis, non ardentis, sequebatur; adeo vt totus locus, in quo consistens, venerandam crucem populo ostendebat, conflagrare videretur. Atque hoc factum est non semel, aut iterum, sed saepius, cum Thomas omnem illum locum circuiret. Quae res salutem, quae postea Apameensibus contigit, praesignificauit. Ob quam caussam imago in testudine sanctuarij statuta fuit, quae inscriptione in basi incisa, hoc miraculum illis, qui eiusdem ignari erant, commōstraret. Vrbs igitur non solum tunc, sed multis postea tēporibus beneficio Crucis seruata. Accidit hoc S. Vigilij Pontificatu, Belisario tunc Iustiniani in Italia duce. Non solum autem fidelibus, sed infidelibus bene cessit Crucis consignatio, & a multis periculis eius sunt virtute & potentia erepti. Miserat aliquando Chosroës Persarum Rex Constantinopolim ad Heraclium Imperatorem Turcas quosdam, cruces in frontibus impressas gestātes, stigmatibus liquato atramento

mento

mento perennes. Imperator cruces eos habere conspicatus, sciscitatur, quanam gratia, quae non crederent, aut colerent, alienae religionis signa circumferrent. Illi, grauem ante plures annos in Perside & patria sua pestem coortã esse, dixerunt; a qua cum multi homines infecti interirent, a Christianis, quos tunc interesse cõtigit, admoniti, vt crucis signaculum eo modo fronti imprimerent, incolumes non solum eos futuros, sed regionem eam a tali lue intactam, liberamque fore persuaserunt; idque ita esse ab eis factum, & vt Christiani praedixerant, euenisse. In hunc morem Isini quidam haeretici, partim Indiã, partim Aegyptum incolentes, cum suos infantes baptizant, eorum presbyteri ferro quodam igni candescente & peracuto, signum crucis frontibus infantulorum, velut characterem quemdam imprimũt. Sed & Agareni quidam Africae indigenae, crucem vnam istiusmodi nigram in gena, alteram in vola manus incudunt: ignorantes tamen caussam, nesciunt rationem reddere, nisi ex innumeris fere, paucissimi. Gotthi aliquando in Africa imperarunt, & ad religionem Christianã ex paganismo multi conuersi; quos principes illi, vt pietati fauerent, immunes a tributis regijs fecerunt. Cumq. exactores vectigal a singulis

Nicephorus lib. 18. c. 20.

recuperarent, multi qui Pagani erant, mẽtiebantur se esse Christianos, vt ita regiũ censum eluderent. Huic fraudi subuentum, consignatione perpetua crucis in gena & vola manus, qua nemo posset vlterius imponere, & eo signo Christiani dignoscerẽtur ab infidelibus. Et hic mos maxime viguit Bugiae, Hipponae, & alijs vicinis vrbibus & oppidis. Sed hos non iuuat ad animae salutem huiusmodi crucis gestatio & consignatio; cum inimici infensissimi eius sint, & maxime ipsam auersentur: non secus atque multae feminae Mahumetanae in Africa, quae sacro baptismo intingunt infantes suos recens natos, quo paedorem & olidum quoddam virus ipsis innatum aboleant, quod fieri per baptismum experiuntur, alias hostiliter insectantur Christianum nomen & religionem.

Ioannes Leo in descriptione Africae lib. 4. & 5.

De ijs, qui peculiariter crucem reueriti sunt. Cap. XL.

NON est defraudandus sua laude Tiberius II. Imp. qui post Iustinum II. Imperium est orsus moderari Orientale, anno D. DLXXVI. vere Orthodoxus, liberalis in pauperes, cunctisque miseris opem ferens. Hic quadam die in aula obambulans, lapidem in pauimento conspe-

xit,

xit, cui signum crucis erat insculptum: ad astantes ideo conuersus, nefas esse aiebat, crucem pedibus conculcari, quam Imperatores in tiara gestarent, & cunctus populus Christianus supplex veneraretur, & frontem & pectus eius signo muniret. Iussit itaque lapidem sustolli, meliorique ac honestiori loco reponi; sub quo & alius repertus eadem cruce insignitus; quo etiam sublato & tertius inuentus est. Hunc simili modo etiam sustulerunt, mirati quidnam res ea portenderet. Tum eo in loco ingens auri thesaurus repertus est, tantamque auri inde vim cepit, quantam hominis liberalitas & beneficentia exigebant. Cuius quidem magnam partem pauperibus erogauit, & in alios pios vsus insumpsit. Eadem religione ducti Theodosius & Valentinianus Imperatores Augusti, Eudoxio Praefecto praetorij scribentes, edicto cauerunt: Cum sit, inquientes, nobis cura diligēs per omnia superni numinis religionē tueri, signum Saluatoris Christi nemini licere vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quodcūque reperitur tolli, grauissima poena mulctando eo qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus. D. XII. Kal. Iu. Hierio & Ardab. Coss. Habetur in Codice Iustinianeo, tit. nemini licere, &c.

Paulus Diaconus lib. 11.

Platina in vita Benedicti primi Papae.

datũ anno Christi 427. Idem sexta Synodus in canone 73. statuit in haec verba; Cũ crux viuifica illud salutare nobis ostenderit; nos omne studium adhibere oportet, vt ei, per quam antiquo lapsu saluati sumus, eum qui par est, honorem habeamus: vnde & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quae a nonnullis in solo ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione victoriae nobis trophaeum iniuria afficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari decernimus.

Porro Tiberius ex ea crucis veneratione ingens emolumentũ est cõsequutus. Victorias namque, vltra thesaurum, de Persis est adeptus insignes: & omnia illi pro votis cõtigerũt, quadriẽnio illo, quo administrauit Imperiũ. Beneficijs diuinis gratus, & cruci, quã in summa veneratione habebat, nummos aureos cudit, cum insigni sanctissimae Crucis, inscriptiõe adiecta: Victoria Augg. NN. Horum multi inuenti in demolitione aulae Lateranensis tempore Sixti V. Pont. Max. anno 1589. cum plerisque alijs Imperatorum Christianorum: quos idem Sixtus principibus viris, etiam cum indulgentijs, distribuit. Cum haec scriberem, bono omine, nummus aureus Tiberij cum insigni Crucis, dono mihi missus e Patauio ab Am-

brosio

brosio Brixiensi monacho Benedictino, Decano Casſinensi, viro docto in primis, & amicitia mihi coniunctisſimo: quem velut e caelo lapſum ea occaſione gratum habui; erat enim vnus illorum, qui fuerunt Laterani reperti: & quaſi rata eo pignore eſſent, quae de cruce ſcripſiſſem, mihi in mentem veniebat, & indicio Crucis delectabar. Sed ad alia pergamus.

Quam grata fuerit omnipotenti Tiberij pietas, theſaurus continuo repertus comprobauit, qui non fortuna, aut caſu inuentus, ſed pro ſingulari ipſius merito, & religioſa in Crucem obſeruantia diuinitus fuit oblatus: qui decies centena aureorum millia excesſit, millionem popularius vocamus. Azo I.C. celebris adeo abuſum conſtituendae in pauimento crucis, quae calcari pedibus posſit, execratur, vt capitali eos ſupplicio damnandos cenſuerit. Verum qui non mala mente, ſed inconſiderate id egiſſet, nō eſſet ita ſeuere plectendus: qui autem iniquo animo, impie, vt pedibus conculcaretur, ſuppoſuiſſet, vltimo eſſet vtique ſupplicio afficiendus. Sed deteſtanda potius, quae conſuetudo praua inoleuit, eorum, qui in muris & parietibus domorum, iuxta vias publicas, crucis ſignacula pingunt, vt arceant illic immingētes: quod quantum imminuat, & detrahat dignitati

Paulus Diaconus lib. 17.

& ve-

& venerationi Crucis, nemo qui recte sentiat, ambigere potest; cum despecto & abiecto loco res pretiosissima collocetur, & a nemine ferme transeunte, vt par erat, adoretur, quod tam humili & profano loco consistat: immo ludibrio sit, & derisui haereticorum & Iudaeorum exposita, & noctu siue ab inscijs, siue a nostrae religionis hostibus, non solum lotio, sed alijs etiam sordibus conspurcetur. Proinde, vt indecenti & impuro situ reposita, merito debuisset deleri. Si enim Pontificum aut Regum insignia, simili loco disposita, indignitatem aliquam ipsorum arguerent; quanto magis crux Christi, Regis Regum omnium, hominum & Angelorum insigne, debuisset decentius collocari?


Non minori laude efferendus est Ludouicus, nonus Gallorum Rex, qui ob eximias eius virtutes, & vitam innocenter & purissime actam, sanctorum meruit catalogo ascribi. Hic tantum est crucem reueritus, vt morbo letali correptus, cruci suscipiendae aduersus Christiani nominis hostes se deuouerit: & quamdiu post vixit, eam gestauit: & eadem, qua Tiberius, religione tactus, indignum iudicauit, crucis sanctissimae signum humanis pedibus calcari & teri, quod summo cultu & veneratione esset a mortalibus prosequendum.

Pro-

Proinde iussit, e lapidibus & marmoribus, quae in pauimento strata erant, signum crucis abradi, vel ad digniorem alium locum transferri. Notior est, quam ego tradere queam, reuerentia maxima, qua Constantinus Imperator crucem coluit & obseruauit. Cuius rei gratia, tot, eius virtute fultus, pugnas superauit, tot victorias de hostibus obtinuit, tot trophaea erexit, cumulum ea propter ingentem gloriae Imperio suo adijciens.

Nō est hoc loco subticendus Petrus Gūdisaluus a Mendoza, vir vtique praeclarissimus, filius Ignigui a Mendoza, Marchionis Sātigliamae, digna proles tali parente. Qui ad illustrissimi ac peruetusti generis nobilitatē, multas animi dotes, sanctos mores, singularem doctrinā, multarumq. disciplinarū cognitionem, & variarum rerum gerendarū vsum, & prudentiam, parentem imitatus, qui litterarum fuit aeque ac rei militaris studiosissimus, adiunxit. Ob quae praecipue merita Episcopus primo Calagurritanus, & Palētinus, deinde Segūtinus creatus: mox Cardinalatus honor, qui in sacerdotum ordine proximū a Pontifice Maximo dignitatis locum obtinet, a Sixto IV. Papa anno 1473. tit. S. Mariae in Dominica, mox basilicae S. Crucis in Ierusalē, eidē delatus. Archiepiscopus deinde Hispalen-

ſis,tandem Toletanus,& Hiſpaniarum Primas conſtitutus. In maximis & grauiſsimis negotijs, prudentiae, conſilij, atque ingenij ita vim expreſsit,vt dignus maiori functione videretur. Erga egenos miſericors, in omnes liberalis, viros praeſertim doctos excoluit, fouit, & aluit, ſingularibusque beneficijs & praemijs ſemper eſt proſequutus.In primis vero ſummum religionis ac pietatis ſtudium adhibuit in veneratione crucis,& cultu illi & honore peculiari impendendo. Vbicumque enim gẽtilitia ſua inſignia pingi, inſeri, ſiue ſcalpi oportuiſſet, locis, ſtructuris, ornamentis, ceteraque ſupellectili, & vaſis aureis & argenteis,ſemper crucis ſignum Ieroſolymitanũ ſeparatim exprimi a dextris eminentiorique loco curabat,quale hic oculis ſubiecimus.



Demum omnia ſiue publica, ſiue priuata, ſiue ſacra, ſiue profana ipſius monumenta, crucis ſignũ praeferebant, & nulla alia magis re delectabatur. Inſigne Valliſoleti, ac celebre collegium ſub titulo S. Crucis magnis ſumptibus erexit, ampliſsimis redditibus eidem aſsignatis; ex quo multi viri docti, veluti ex Troiano equo, prodiere, qui ad varia munera obeunda, & multorum magiſtratuum functionem aſſumpti, Chriſtianae reipublicae mirum in modum profuerunt. Toleti praeterea valetudinarium

riũ ingens & magnificentiſsimum pro curandis & lactãdis pueris expoſitis, non ſolum titulo Crucis, ſed forma eiuſdem, iuſſit aedificari, ita vt ſtructura crucem per omnia referret, & in ſingulis brachijs ſingula intercolumnia (clauſtra vocant) cõtineret, pulcherrimũ ea ratione & ſymmetria ſpectaculum praebens: & quod admiratione dignum exiſtit, crux eſt in vno illorum clauſtrorum, nulla opera aut ſtudio hominum, ſed ſua ſponte, ex herbis quibuſdam conflata, proueniens; quae quantumuis auulſa, & decerpta, ſub eadẽ ſemper forma & figura renaſcitur. Quo fit, vt religioſa populo habeatur, & particulam quiſque illius herbae naſcentis euellat, & ſalutarem morbis experiatur: & ideo ne vno tẽpore diſsiparetur, oportuit clatris cingi, & ita opportune diſtribui. Tectum praeterea baſilicae S. Crucis in Ieruſalem vetuſtate deformatum refecit, & laquearibus inauratis ornauit, vbi crux Ieroſolymitana, ſibi familiariſsima, conſpicitur. Expugnationi regni Granatenſis, cũ Ferdinando & Heliſabetha, Catholicis Hiſpaniae Regibus, aſsiduus interfuit; magnamque pecuniae vim in eo aduerſus Agarenos, inimicos Crucis Chriſti, bello gerendo, inſumpſit. Crux vero Patriarchalis, quae ipſum ſolebat Cardinalem antecede-

re,

re, velut dux, & antesignana, prima vrbem Granatam deditione captam ingreditur, & victrix ac triumphans de Christi hostibus laeta processit: & in hodiernum vsque diem ibidem asseruata, quando publicae supplicationes fiunt, ceteras ecclesiarum cruces, veluti ductrix & insignior, anteit. Sed quod admirationem mouit, & mysterio haud vllo vacasse credendum, id singulare fuit: eodem anno, mense, & die, quo crux Patriarchalis Cardinalis Granatam intrabat, Romae, in ecclesia sui tituli S. Crucis in Ierusalem, triumphalis titulus Crucis sanctissimae detectus, qui per multa ante secula hominibus incognitus delituerat: & dum Crux Granatae hostes superat Crucis, eius titulus trophaeum excitat Romae, & publicam pro cunctis orbis ecclesijs sibi subditis agit laetitiam: & praeterea eo indicio Deus videbatur per Crucis titulum obseruantiam Cardinalis & religionem erga Crucem peculiariter cōmendare. Bello Granatensi tam feliciter absoluto, duas res praeclarissimas, & aeterna memoria dignas, Catholicis Regibus suggessit, Ferdinando & Helisabethae, apud quos plurimum auctoritate & gratia valuit: alteram, vt petitioni Christophori Columbi Liguris inclinarent, qui nouas insulas & continentem versus Occi-

dentem se reperturum pollicebatur, cum non solum ab Angliae & Lusitaniae Regibus esset explosus, sed a cunctis veluti delirus & impostor ludibrio & risui haberetur: tantum autem Cardinalis effecit, vt clafsis illi, milite, annona, & rebus omnibus alijs necessarijs instructa, nullo certo argumento aut experientia ductus, concrederetur. Quod portam aperuit innumeris populis & gentibus ad Christi fidem & baptismum perueniendi. Alteram autem, sanctum munus in haereticos inquirendi auctoritate Apostolica, vt in Hispania institueretur: quod salutare illi prouinciae extitit, & fidei sinceritatem eius opera, diuino numine adiutum conseruauit: & si quando procellae aliquot subortae, ipsius beneficio sedatae, atque a censoribus, & violatae religionis vindicibus repressae conquieuerunt. Haec tam praeclara, post Deum, & Reges Catholicos, Cardinali Petro Cundisaluo a Mendoza accepta referimus. Qui in palatio, quod ipse magnificum Guadalagiarae cōdiderat, & nūc in principū suae familiae habitationē cefsit, lecto, morbo letali inuasus decubuit: ipsoque die obitus crux in caelo cādida apparuit, quae supra cubiculum impēdebat, vbi decefsit, continuo euanuit spectantibus illius vrbis ciuibus prodigiosum, & diuinitus ostensum

ſum ſignum, qui adfuerunt: mox autem ipſo obeunte diſparuit. Crux ita noluit deeſſe morienti, quam viuens tantopere excoluerat. Corpus eius Toletum tranſlatum, & in primario ſacello templi maximi honorificentiſsimo tumulo ſepultum, non ſine opinione ſanctitatis. Cuius anniuerſaria memoria ſaepe a clero, ſenatu populoque Toletano recolitur, & cunctis laudi & benedictioni eſt. Haec ex multis pauca ab hiſtoricis partim hauſi monumentis, partim ex narratione Illuſtriſsimi Cardinalis Ioannis a Mendoza excepi; qui tantae probitatis, candoris, & fidei exiſtit, vt ſermones eius pro fidiſsimo & firmiſsimo teſtimonio & certiſsima hiſtoria habeamus.

Quare Chriſtus Crucis mortem prae ceteris elegerit. Cap. XLI.

MVLTA & diuerſa genera mortis, in eos, qui iure aut iniuria plectuntur, homines excogitarunt inferenda. Quãdoque igne torrent, ſicut Laurentium; flammis abſumunt, ſicut Agnetem; aquis immergunt, ſicut Calliſtum Papam; ſaxis interimũt, veluti Stephanum; feris dilaniant obiectis, ſicut Ignatium; patibulo ſtrangulãt, velut multos martyres in Anglia; caudis equorũ ligatos diſcerpunt, veluti Hip-

polytum; ſagittis configunt, vt Sebaſtianum; gladio feriunt, veluti Paulum; vel cruci ſuffigũt, veluti Petrum & Andream; vel fame, vel paedore & ſquallore carceris, aut venenis propinatis, exanimant, ſicut & alios pleroſque. Inter tot tamen variaque ſupplicia, Chriſtus Deus redẽptor noſter, non aliud magis quam crucem elegit, qua mortem ſubiret, vt haec gloria, & honor, palma, & victoria ipſi ſoli ſeruaretur, & vnica de morte & diabolo triumpharet. Tum vt letali ſigno, per quod mors & peccatum in orbem inducta, vitale aliud obijceretur, quod vitam & peccati antidotum miniſtraret: atque melius lignum alterius infauſti ruinas & iacturas repararet: & victoria penes lignum eſſet, ſub quo primus homo turpiter fuerat ſuperatus. Tũ vt charitatis ſuae viſcera erga nos oſtenderet, qui non ſolum humanum genus diligeret, ſed impenſe & incredibiliter amaret, ſaeuius & acerbius mortis ſupplicium alijs mitioribus praeferendo: quo teſtaretur, nihil quantumuis duriſsimũ praetermiſsiſſe vmquam, quod non in noſtram ſalutem & commodum impenderit, exceſſu quodam amoris impulſus. Summum namque ſupplicium videtur, crucis affixio, & viui concrematio. Sed cruci ſuffixio eo eſt rigidor, quo productior, & tẽpore diuturnior,

turnior; ignis namque cito abſumit & ſuffocat, crux autem diutius torquet, & in biduum & triduum necem differt, niſi crurifragio occurratur. Intolerabiles interim ſunt cruciatus, cum e manibus & pedibus, clauis transfixis, totum corpus pendeat citra vllum ſolatium. Ideo igitur Chriſtus hoc dirius mortis ſupplicium pertulit, vt non momentanea ea eſſet, ſed diutius duraret, doloribuſque intenſius torqueretur. Vaticinia praeterea Prophetarum, quae multa de Chriſti morte edita, in cruce ſubeundam praedixere. Immo ipſe Chriſtus ſe exaltandum, vt credentes in eum non perirent, Nicodemo; & diſcipulis, tradendum Gentibus ad crucifigendum, aperte expoſuit. Non poteſt autem verbum diuinum vmquam deficere, neque prophetica oracula praeteriri, aut falli. Adde, quod Seruator noſter, in altum ſublatus, aërem voluit ſua praeſentia expiare, hominum ſceleribus corruptum, eorumque contagijs veluti infectum: quod terrae praeſtiterat, eam ſuis ſanctiſsimis pedibus calcando. Voluit etiam cuncta in ſua morte honorare, herbas in funibus, dumos in corona ſpinea, metalla in clauis & lancea, animantia bruta in agno paſchali, ſaxa & linteamina in ſepulcro, telas laneas in purpureo veſtimento, volucres in gallo negationem Pe-

Ioan. 8.
Mat. 20.

tri cantu prodente; homines in matre, & Ioanne, atque alijs bonis feminis cruci aſſiſtentibus, ſancto latrone, Ioſepho Arimatheenſi, ac Nicodemo, eius funus & ſepulturam curantibus; panem & vinum in ſacramento altaris; & ne quid ſupereſſet, omnes arbores in ligno crucis ornauit. Placuit eidem ſublimis vndique conſpici, qui pro omnibus vitam effundebat ſuam: tum vt plagas orbis omnes liberius ſpectaret, in quas eſſet ſua crux & dona teſtamento & vltimo foedere deleganda: tum vt excelſo & edito loco tribunal & regium ſolium ſuum locaret, iura cuncto terrarum orbi inde redditurus, qui alterũ duorum latronum in caelitum conſortium admittit, alterum in tartareas cohortes & voragines damnat. Cathedram item doctoris ibi ſtatuit: e cruce docens mortales veram ſapiẽtiam & virtutes, quibus ſuam admirabilem crucem diſcipuli tanti magiſtri ſectentur. Hae igitur cauſſae, praeter alias quas ipſe ſolus nouit, vt Chriſtus mortem crucis e cunctis ſupplicijs vnam elegerit, ac praeſtantiorem iudicarit.

Quod

Quod omnis nostra salus a cruce pendeat, & vitam immortalem nemo citra ipsam consequi poßit. *Cap. XLII.*

HVNC librum vnico exemplo hic proposito absoluam, ad explicãdum quantae virtutis & potẽtiae sit Christi sanctissima crux, ex Nicephoro historiae Ecclesiasticae scriptore, petito. Constantino Maximo Imperatori per visum Michaël supremus spirituum creatorum princeps, & signifer totius militiae caelestis, atque protector Ecclesiae Catholicae ab exordio mũdi vsque ad finem, iuuenis specie, alatus apparuit: Ego, inquiens, sum Michaël, archidux Domini virtutum Sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli & germano illius ministro, auxiliaria arma contuli. Somno euigilãs Imperator, regionem eam pulcherrime excoluit, & celeberrimum eo in loco Michaeli Archangelo tẽplum aedificauit. Sacram eam aedem, apparitionibus suis, non secus atque in Gargano Apuliae monte, & Normandiae in Gallia promontorio, idem Michael illustrauit. Nullus enim fuit, qui morbo graui aut incurabili laboraret, & illic accurrens Deum imploraret, cui non facile opem & auxilium

Nicephorus lib. 7. cap. 50.

lium tulerit, eiuſdem precibus Michaelis & interceſsione inclinatus. Et certo ſatis creditur, eum apparere ibi ſolitum, ſalutiferum illum efficere locum; cuius rei gratia ab antiquis etiam Michaelium eſt vocatus. A Probiano medico idem Nicephorus ſe audiuiſſe dicit, qui in Imperatoria cohorte aliquando militarat, graui correptum morbo, pedibus affectum, iuncturis, connexionibuſque eorum longo tempore diſtortis, viſione diuina in eo templo, prorſus fuiſſe liberatum. Hic porro, quod Graeca ſuperſtitione imbutus, ad Chriſtianam pietatem tranſierat, alia quidem religionis noſtrae quodammodo credibilia atque probabilia eſſe dicebat; crucem autem diuinam, ſalutis cauſſam eſſe, omnino non admittebat. Atque in hac illi ſententia periculoſe ſatis perſeueranti, Archangeli viſio aſsiſtens, crucis ſignum, quod in ſacro templi eius altari collocatum fuerat, exhibuit; diſertiſque verbis oſtendit, ex quo tempore Chriſtus ſit crucifixus, nullam eſſe rem, quae opitulari generi humano priuatim & publice, finemque debitum & effectum conſequi, abſque auguſti huius ligni virtute poſsit, neque apud Angelos, neque apud pios, ſanctoſque, quicumque veri in Deum amoris teſtimonium obtinerent, homines. Qua perſuaſione, beatiſsimi

illius

illius principis beneficio, ſaniorem is mentem recepit, & ab errore adeo pernicioſo reuocatus eſt. Sapientia namque in ſola crucis cognitione verſatur, & proſperitas tota homini de cruce pendet: vt quae ſuſtentaculum ſit & fulcimētum collapſi generis humani. Vita proinde omnis noſtra ſub cruce tranſigenda: & gloria nulla alia in re magis, quam in cruce, collocanda. Quam niſi quis poſt Chriſti necem receperit, & ſpem omnem in ea defixam habuerit, ad vitam aeternam peruenire haud poteſt. Eius ſignaculo crebro frons & pectus munienda, ne exterminator Aegypti in nobis locum reperiat. Quam tandem, protritis vndique hoſtibus ſuis, laetam ſperamus victoriam relaturam. Qui igitur perſeuerauerit vſque in finem, ſplendore illo eximio aeternae lucis, & crucis diademate coronabitur. Trophaeum namque nobis erigitur ante ora pulcherrimum, & inſigne regium Chriſti, quod ipſum ad iudicium hominum venientem magna cum maieſtate & gloria antecedet: in cuius numine omne genu flectendum, caeleſtium, terreſtrium, & infernorum: & ſtrenue in eius virtute & potentia pugnādum aduerſus fidei hoſtes, aduerſus tartareas & aëreas poteſtates, ac aduerſus quoſcumque impetus, & impendentia mala. Cruci obtrectant Ethnici, at-

que eius doctrinam delirium existimant. Cum Iudaeis sit offendiculũ, Gẽtibus stultitia; nobis tamẽ Christianis, eius sectatoribus, sapiẽtia & Dei virtus existit. Crucis diuinitatem si Ethnici cognoscerent, rem tantam risui non haberent; cum in ipsa sit omnis virtus & potestas, & mortis ideo non timeatur periculum, vbi tantae reuerentiae conspicitur signum. Crucis sublimitate iacentem Christus hominem excitauit, salutem peperit, & peccatum omne aboleuit. Crux olim, & nunc etiam, maximum & praestantissimum signum bellicum: eius mysterium caelo durabilius, terra stabilius, & omnium rerum constitutione diuturnius. Crux clarior cunctis astris, splendidior Sole & Luna: eius quattuor proiecturae, latitudo, longitudo, profunditas, & altitudo, quod a quattuor plagis mũdi per eam homines euocentur, Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione. Per crucem pretiosam vniuersae terrae regnum obtinuit Christus: nobis aduersus daemones amuletum existit: & demum eius in caelo apparitiones, vix fieri nequit, quin nobis sint salutares, & victoriam pariant Christi militibus praestolatam. Placet distichum Cornelij Gemmae, in simile negotium ab ipso editum:

Cornelius Gemma de diuinis characterismis lib. 2. cap. 3.

Dux homini, noua lux caeli ad fastigia, crux est:

Vincet,

Vincet, qui sub luce, Deo duce, pro cruce pugnat.
Et licet bellum quandoque crux ostensa significet, id fit in ordine ad pacem & tranquillitatem per ipsam adeptam. Quodammodo enim pace ipsa nobis bellum vtilitatem adfert maiorem; propterea quod tentationes istae, vt Ecclesia magis etiam refulgeat, efficiunt. Pax enim nos molles, desides, & timidos reddit: bellum autem cũ animos nostros acuit, tum rebus praesentibus nos affigi non patitur: sed vt eas despiciamus, & fluxa haec atque caduca pro nihilo habeamus, suadet. Deum autem, hoc symbolo crucium ostẽsarum, non existimo grauius pondus velle humeris nostris imponere, sed potius nuper impositum, propediem ablaturum. Timenda tamen veniunt huiusmodi signa, quod oraculum sit Christi, qui Ecclesiam suã praedixit afflictione grauissima supremis temporibus agitandam. Nec huic sententiae aduersatur illa Hieremiae, qua inquit: Hieremiae 10.
A signis caeli nolite metuere, quae timent Gentes. De Ethnicis nãque superstitionibus & idolomania sermo est, a qua fideles deterret. Cultum namque & adorationem exhibebant Gentiles statuis in signorum caelestium figuras efformatis, credentes ab illis se obtinere posse rerum copiam, vel timere inopiam, quasi numen haberẽt aliquod,

quod, velut erant arietis, tauri, Geminis, & ceterorum ſimulacra. Quod aperte contextus indicat eorum quae ſubiunguntur. Quia lignũ, inquit, de ſaltu praecidit opus manuum artificis in aſcia: argento & auro decorauit illud: clauis & maleis compegit, vt non diſſoluatur. Et totum denique caput expendit Propheta in huiuſmodi dehortatione, ne fideles prauum in hac re infidelium ſequerentur exemplum. Timeri quidem potuit & debuit miranda illa Solis defectio in paſsione Chriſti. Timenda erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis, quae praecedent iudicij diem: quia ad hoc immittuntur, vt timeantur, & areſcant homines prae timore. Timenda ſunt aſtra crinita ſeu cometes; quia ad exitium plerumque hominum vergunt, & futurae alicuius calamitatis ſolent eſſet praenuncia, & legatione veluti fungi diuina, ad hominum meliorem mentem excitandam. Timendae ſunt apparitiones crucium, ſicut in terris, ita in caelis, colendae & adorandae, tamquam diuinitatis ſymbolum & magni Regis vexillum, eodem prorſus cultu & adoratione, qua ipſe Deus, proſequendae, vt quae ſint eius ſigna, ſubſcriptiones, & characteres diuina ſua manu impreſsi. Speramus, & optamus, has, quae in Gallia & Anglia nuper viſae, felices & ſalutares toti

Chri-

Chriſtiano orbi, & murum inexpugnabilem ſacrae militiae eſſe futuras. Proinde oculos ad tam praeclarum & diuinum monumentum erigamus, & praeſtolemur pijs aucturum iuſtitiam, reiſque donaturum veniam. Hoc vno ſigno diuino confidimus poteſtates tartareas debellãdas, haereticos, eorum fautores, & illos, qui cum nihil credant, ſe tamen Chriſtianos mentiuntur, & religionis ſunt ſimulatores: omnia demum diaboli praeſtigia propellenda, & inſidias hoſtiles ſuperandas: & quod Orthodoxis eſt medicina & antidotum, haereticis autem, & crucis inimicis, & perſequutoribus eiuſdem, niſi opportune poeniteant, letale ſit futurum venenum, daemonibus exitium, quod ſummopere expaueſcunt. Crux igitur diuina, vnica & vera ſpes noſtra, quae meruiſti talentum & precium mundi ſuper te ſuſtinere, & eius ſanguine cruentari, & vitam cunctis mortalibus elargiri, plebi Chriſtianae tot miſerijs & aerumnis afflictae, tot modis collabẽti, ſubueni precamur: vt in te vnice gloriemur, & tuo ſimus ſemper tuti praeſidio.

Haec pauca de cruce, inter tam multa, quae de eius potentia & maieſtate ſublimia & ineffabilia dici poſſent, trigintaocto diebus & coepi & abſolui: & ex ijs aliquot tum aegritudo, tum aeſtus vrbani intercepere,


pere, vt ſtudijs vacare haud poſſem. Proinde boni conſulat benignus lector; & ſi aliquid recte praeſtitũ, diuinae cruci adſcribat; ſin minus, imbecillitati mei ingenij, qui non melius ſciui iſta pro rei dignitate tractare. Neque hãc prouinciam ego ſuſcepiſſem, niſi eam D. Conſaluus Pontius a Leone demandaſſet, cuius hortatu & impulſu ſubeundam duxi. Qui vltra generis nobilitatem, doctrinam, & variam in diſciplinis eruditionem, & propenſiſsimum animum in viros doctos, dignus eſt ob ceteras virtutes a cunctis amari: a me praeſertim, quem ſemper praecipuum expertus ſum amicum. Illi, qualiſcumque hic meus labor, acceptus ferendus, qui, vt ſcriberem, induxit me. Non ſinet autem crux ſanctiſsima, in cuius obſequium haec fiunt, ſuo quemque merito, praemio, & fructu fraudari.

De trino Sole & Cruce ſupra Lunam Theodoſiae oſtenſa. Cap. XLIII.

A Typographis fuit praetermiſſa ſingularis quaedam crucis apparitio, quae ſuo genuino eſſet loco inſerenda: tamen excudendam ſub finem cenſui, ne illi defuiſſe videremur, quae inſignis valde fuit.

Anno

Anno 1567. die 16. Ianuarij, in Scythia, Tartaria populariter appellata, Theodoſia vrbe, ad Boſphorum ſeu mauis Euxinũ mare ſita, Caffa nunc dicta, ad quam ante biennium Turcarum Imperator captiuos, quos ex Chio inſula, Ioniae adiacente, inter Samum & Lesbum, in qua laudatiſsima naſcitur maſtiche, fraude circumuentos abduxerat, exuleſque relegauerat, tres Soles in caelo viſi, quos circulus ambiebat ſuperiore parte candidus, inferiori varicolor, ſicut Iris. Poſt tres circiter horas, Sol vnus verſus Orientem, alter verſus Occidentem progreſſus, tertius legitimus ſolito tempore occubuit. In eodem etiam loco, die eiuſdem menſis Ianuarij 28. hora quarta noctis, crux ſplẽdens ſupra Lunam cauam, qualis eſſe ſolet quae a Turcis pro inſigni vſurpatur, apparuit; ſupra crucem ſtella emicuit, & ad auroram vſque ſplendidiſsima perdurauit, vt ſequens figura oſtendit.


A
B
C
D
F
G
H
LEVANTE
PONENTE
E

Quod certe prodigium ad ſolatiũ captiuorũ a Deo caelitus immiſſum, qui pro Chriſti nomine a Barbaris, Chriſtiani nominis hoſtibus, a patrio ſolo abducti, fortunis omnibus ſpoliati, in eã miſeram & inopem vitam, nihil tale commeriti, fuiſſent coniecti. Indicabat etiam hoc portentum victoriam, quã de claſſe Turcica, Chriſtiana foedere iuncta glorioſiſsimã quadriẽnio poſt ad ſinum Corinthiacum prope Actiacum promontorium habuit: & aliquando crucem Lunam, hoc eſt Turcicum imperium ſubacturam: & ſuſcitandum Dauidem aliquando, qui iſtos Philiſtaeos, gentem impiam & execrandam, deleat; & Ieroſolymam, cum Syria, Aegypto, Graecia, ac Conſtantinopolitano Imperio, obediẽtiae Catholicae Eccleſiae, cui olim ſubfuerant, reſtituat: & ſecura de tam formidabili & immani hoſte laetiores progreſſus faciat, & laeta crux ipſa triumphet. Et certe illud imperium, & legem Mahometanam breui exterminandam, etiam ſua vaticinia praedicunt, aut defectione populorum, aut receptione Euangelij, aut bellis ciuilibus, aut multis alijs vijs, quas Deus nouit, & homines non aſſequuntur. Vnum certe conſtans eſt, illud imperium lenta quaſi febri correptum in dies abſumi, & debilitari, theſauris, & ſtrenuis militibus in bel-

lo Persico absumptis, & obedientia populorum decrescente, & Mauritanis in Africa deficientibus. Deus tandem hanc saeuissimam Ecclesiae pestem auertet.

Aliae forsan crucis apparitiones me praeterierunt, quas, diligentia adhibita, & varia lectione assequi nequiuerim. Praestiti quod potui in tanta temporis angustia, contentus haec qualiacumque in obsequium Crucis Christi delibasse. Hoc est autem nostra tempestate plausibile, cruces caelitus ostensas nobis, in Gallia & Anglia, quas nonaginta circiter ante annos in Europa numquam contigit videri, vtinam, vt speramus & optamus, salutares cuncto Christiano populo existant.

F I N I S.



INDEX RERVM INSIGNIORVM QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Numeri facies paginarum designant.

A

N *Ambro-*

Bellum

Cruce

Magnen-

M

N

V

FINIS.

REGESTVM.

ABCDEFGHIKLMN.

Omnes ſunt quaterniones.

ROMAE,

Apud Aſcanium, & Hieronymum Donangelos. 1591.

125.–

